DE


# ECCLESIASTICÆ BRITONUM SCOTORUMQUE HISTORIÆ FONTIBUS

DISSERUIT

CAROLUS GUILIELMUS SCHŒLL.

MDCCCLI.

BEROLINI APUD WILHELMUM HERTZ (LIBR. BESSER.)
LONDINI APUD WILLIAMS ET NORGATE.


University of California
Lux ex Tenebris.
Claus Spreckels Fund.

# ECCLESIASTICÆ BRITONUM SCOTORUMQUE HISTORIÆ FONTES.

DE

# ECCLESIASTICÆ BRITONUM SCOTORUMQUE HISTORIÆ FONTIBUS

DISSERUIT

CAROLUS GUILIELMUS SCHŒLL.



MDCCCLI.

BEROLINI APUD WILHELMUM HERTZ (LIBR. BESSER.)
LONDINI APUD WILLIAMS ET NORGATE.

SPRECKELS

# ARGUMENTUM.

## I. ECCLESIASTICAE BRITONUM HISTORIAE FONTES.



## II. ECCLESIASTICAE SCOTORUM HISTORIAE FONTES.

Ad perscrutandam antiquitatem quicunque studium contulerit, nihil potius habeto, quam ut a recentioribus vetustiores fontes diligenter secernat. Quae summa historiae lex in explicandis Britannicarum ecclesiarum primordiis huc usque neglecta est. Illi enim quorum maxima laus est in vetustis undique colligendis monumentis, his nulla temporum diversitatis ratione habita usi sunt. Medii autem aevi scriptores falsa veris miscendo et ad ipsorum aetatem quae prioribus evenerunt saeculis metiendo quam maximas ecclesiae primordiis tenebras obduxerunt. Quos vel nostra aetate sunt, qui duces sequi in magna vetustorum fontium paucitate non dubitent. Alii vero quae perpetua sunt oblivione obruta, conjecturis, ut putant, in lucem evocare malunt, quam ignorare se de priscis temporibus fateri. Plurimi denique, licet rejecerint aniles posteriorum fabulas, tamen ex incertis eorumdem scriptis, quae ipsis quadraverint, carpunt et colligant. Quo modo vereor ne vel mendosior evadat historia. Quum vero id agatur, ut vera antiquitatis imago exprimatur, neque rivuli consectandi sunt, neque ex variis varia scriptoribus carpenda, sed hauriendum potius a fontibus est, et quae sit cujusque auctoris indoles ac fides indagandum.

Nos igitur, quum alii aliarum ecclesiarum primordia jam in lucem evocarint, in Britannicae antiquitatem elucidandam impendere operam nobis proposuimus. Qua in re alienum est a consilio nostro, medii aevi vel recentiorum scriptorum libros, qui huc spectent, enumerare,

sententias dijudicare, nisi quid lucis ad cognoscendam antiquitatem afferant. Neque notas res ac pervagatas retractabimus, sed antiquissimos tantum fontes indagabimus, maxime illos, qui vel parum accurate vel nondum satis investigati.

Quum vero in duas maxime partes distinguatur ecclesiastica Britanniarum historia, quarum Britonum est altera, altera Scotorum tam Hiberniensium quam Albanensium, primo de illius dein de hujus fontibus est disserendum.

# CAP. I. GILDAS.

Antiquissimus Britonum scriptor Gildas exstitit. Is quando, quis etiam et qualis fuerit tam ex ejus scriptis, quam ex pervetustis cognoscitur testimoniis. ***Beda*** primus testis est laudandus, qui non solum multa ab eo sumsit, sed etiam in Hist. Eccl. I, 22 his illum auctorem citat verbis: »quae historicus eorum Gildus flebili sermone describit.«

Proximus est ***Alcuinus***, qui in Epistola IX haec dicit: »Legitur in libro Gildi Brittonum sapientissimi, quod iidem ipsi Brittones propter rapinas et avaritiam principum propter iniquitatem et injustitiam judicum propter desidiam et pigritiam praedicationis episcoporum propter luxuriem et malos mores populi patriam perdiderunt.« Idem in Ep. LIX »Discite Gylbum Brittonum sapientissimum et videte ex quibus causis parentes Brittonum perdiderunt regnum et patriam.«

Ad haec VIII saeculi testimonia accedunt XII saeculi scriptores.

***Guilielmus Malmesbiriensis*** quidem, qui librum de Glastoniensis ecclesiae antiquitate ante a. 1126 conscripsit, haecce refert: (Gale III, 296.) »Nam sicut a majoribus accepimus, Gildas neque insulsus neque infacetus historicus, cui Britanni debent, si quid notitiae inter caeteras gentes habent, multum annorum ibi (Glastoniae nempe) exegit loci sanctitudine captus. Ibidemque AD 512 de medio factus in vetusta ecclesia ante altare est sepultus.«

***Galfridus Monemutensis*** deinde, qui Historiam Regum Britonum a. 1147 composuit, haec dicit: »Cum multa mecum et de multis saepius animo revolvens in historiam regum Britanniae inciderem, in mirum contuli, quod intra mentionem quam Gildas et Beda luculento tractatu fecerant, nihil de regibus qui ante Incarnationem Christi Britanniam inhabitaverant, nihil etiam de Arturo ceterisque compluribus qui post Incarnationem successerunt, reperissem.«

At ille ubi Gildam sequitur (Hist. VI, 1. 2. 3.) de auctore silet, a Gilda vero quae se hausisse refert, ab aliis sumsit. In Hist. VI, 13 enim Germani miracula enarrat, »quae« ait »Gildas in tractatu suo luculento sermone

paravit.« Verum haec exstant in Historia Britonum § 12 etc. quam ille ut plerique ejus aetatis scriptores Gildae attribuit. Idem alios qui jam perditi sunt a Gilda libros, de legibus Molmutinis Hist. II. 17 et de »Victoria Aurelii Ambrosii« (V. 1) scriptos esse putavit, quorum in posteriore se nomina et actus Fagani Duvianique et sociorum ab Eleutherio papa missorum invenisse refert. Nec denique in Gildae libris neque in Historia Britonum invenitur, quod Galfridus de Lud, Cassibelauni fratris, et Nennii contentione refert, quam, ait, »quia Gildas historiographus satis prolixe tractavit, eam praeterire praeelegi.«

*Giraldus Cambrensis* denique in Cambriae descriptione c. a. 1155 scripta Gildae mentionem facit. Dicit enim in praefatione, Anglia Sacra p. 580: »Prae aliis itaque Britanniae scriptoribus solus mihi Gildas, quoties eundem materiae cursum obtinuerit, imitabilis esse videtur, quia ea quae vidit et ipse cognovit, scripto commendans excidiumque gentis suae declarans potius quam describens veram magis historiam texuit quam ornatam.«

Idem in libello de Illaudabilibus Walliae c. II (Wharton Anglia Sacra II. 448), Gildam plane secutus sub finem addit »De Gilda vero qui adeo in gentem suam acriter invehitur, dicunt Britones, quod propter fratrem suum Albaniae principem, quem rex Arthurus occiderat offensus haec scripsit. Unde et libros egregios quos de Gestis Arthuri et gentis suae laudibus multos scripserat, audita fratris sui nece omnes, ut asserunt, in mare projecit. Cujus rei causa nihil de tanto principe in scriptis authenticis expressum invenies.«

Quod quum desit in Codice Westmonasteriensi haud scio an a librario quodam fuerit adjectum.

Hue etiam pertinet nota librarii, quae sub finem codicis F exstat, de qua infra. Ibi Gildas magnum fertur de Britonum regibus librum scripsisse.

Iisdem fere temporibus Gildae Vitae compositae sunt, altera XII saeculo a Ruyensi quodam monacho (ed. Mabillon Act. Sanct. saec. 1.) a Caradoco Lancarvensi, ut fertur, altera (ed. Stevenson cum Gildae scriptis 1838). Hanc vero neque a Caradoco scriptam et XII saeculo antiquiorem esse, in praefatione (ibid.) Stevenson docuit. Sufficit pauca de ea dicere.

Auctor hujus Vitae Gildam Sapientem, Sanctum, Doctorem, Historiographum vocat. »Fuisse eum unum ex 24 Nau Albaniae regis filiis et 7 annos in 7 artibus studuisse in Gallia. Dein cum remeasset cum mole diversorum voluminum, audita ejus fama confluxisse undique plurimos ad eum scholares. Eundem Ardmachae quoque studium rexisse, dein Romam profectum campanam Pontifici dono dedisse, reversum inde Lancarvense rexisse studium, posthac cum Cadoco in insulis Sabrinae fluminis commoratum, a Danis denique expulsum confugisse Glastoniam et ibi scripsisse historias de regibus Britanniae: Tum vero quum urbs ab Arthuro obside-

retur, hunc reconciliasse cum Melcuamo rege; eamque ob causam multa reges Glastoniae ecclesiae territoria donasse. Tandem Gildam mortuum Glastoniae et in ecclesia St. Mariae esse sepultum.« Haec fere ille.

Tales quidem fabulas nos hoc loco non facile repetituri eramus, nisi doctissimos viros induxerint, duos statuere Gildas. Quae hodie communis fere omnium sententia levioribus fulcitur argumentis. Maximum est illud, quod Guilielmus Malm. Gildam obiisse referat a. 512, obsessio vero Badonici montis facta sit a. 520, quo anno se natum esse Gildas ipse testificatur. Hinc non solum Balaeus sed etiam Usserius, cujus maxima est in indaganda antiquitate auctoritas conclusit, alium esse Gildam Albanium, Badonicum alium. Quod luce clarius esset si tam de anno obsessionis illius, quam de Gildae aetate inter omnes medii aevi scriptores constaret. Beda quidem Gildae locum perperam interpretatus Badonicum montem obsessum esse a 493 putavit, reliqui calculum non subduxerunt. Annales Cambriae vero id a. 516, Matthaeus Westmon. a. 520 factum referunt. Neque de Gildae aetate certi quidquam tradunt isti scriptores. Hoc unum ex locis supradictis et Vitis colligi licet, Gildam eos Arthuri aequalem habuisse. Guilielmus unus Gildam a. 512, Arthurum a. 542 decessisse refert. Stolidissimae vero fabulae aliique qui in libro ejus exstant calculi, parum apti sunt ad fidem faciendam. Idem enim Davidem episc. mortuum esse refert a. 546, Annales Cambriae vero a. 601. Quanta vero temporum ac rerum confusio quanta fabularum fictio XII saeculo fuerit, nemo nescit. Incertitudo igitur temporum causa non est, cur duo statuantur Gildae. Sed quod pluris est, silent omnia tam vetusta quam medii aevi monumenta de altero Gilda; qui si talis ac tantus vir exstitisset, apud Gildam, Bedam, Annales Cambrenses ac prorsus omnes scriptores nullam omnino ejus mentionem fieri, mirari satis non possemus. *Rejicienda est igitur ista, duos fuisse Gildas, conjectura,* quae ut aliae innumerabiles conjecturae et fabulae ex Balaei et Pitsii officina prodiit, qui quum respuere repugnantia nollent, inter duas ea personas distribuerunt.

*Unus ergo, de quo agitur Gildas fuit,* de quo certissima quaedam quanquam paucissima quum ex antiquis testimoniis tum ex ipsius scriptis cognosci licet. Haec enim ipse sub finem Historiae dicit (§ 26) »Ex eo tempore nunc cives nunc hostes vincebant ... usque ad annum obsessionis Badonici montis .... quique quadragesimus quartus ut novi oritur annus mense jam primo emenso, qui jam et meae nativitatis est.« Hic vero annus quum secundum Annales Cambriae X saeculo scriptos (conf. infra) LXXII sive 516 nostrae aerae sit (520 Matth. Westmon.) natus est Gildas a. 516, Historiam autem composuit a. 560 (564). Epistolam vero ante annum 547 scripsisse videtur, siquidem idem est Mailcunus, quem in Epistola quasi praesentem increpat cum Mailcuno, quem a. 547 mortuum esse Annales

sententias dijudicare, nisi quid lucis ad cognoscendam antiquitatem afferant. Neque notas res ac pervagatas retractabimus, sed antiquissimos tantum fontes indagabimus, maxime illos, qui vel parum accurate vel nondum satis investigati.

Quum vero in duas maxime partes distinguatur ecclesiastica Britanniarum historia, quarum Britonum est altera, altera Scotorum tam Hiberniensium quam Albanensium, primo de illius dein de hujus fontibus est disserendum.

# Cap. I. GILDAS.

Antiquissimus Britonum scriptor Gildas exstitit. Is quando, quis etiam et qualis fuerit tam ex ejus scriptis, quam ex pervetustis cognoscitur testimoniis. *Beda* primus testis est laudandus, qui non solum multa ab eo sumsit, sed etiam in Hist. Eccl. I, 22 his illum auctorem citat verbis: »quae historicus eorum Gildus flebili sermone describit.«

Proximus est *Alcuinus*, qui in Epistola IX haec dicit: »Legitur in libro Gildi Brittonum sapientissimi, quod iidem ipsi Brittones propter rapinas et avaritiam principum propter iniquitatem et injustitiam judicum propter desidiam et pigritiam praedicationis episcoporum propter luxuriem et malos mores populi patriam perdiderunt.« Idem in Ep. LIX »Discite Gylbum Brittonum sapientissimum et videte ex quibus causis parentes Brittonum perdiderunt regnum et patriam.«

Ad haec VIII saeculi testimonia accedunt XII saeculi scriptores.

*Guilielmus Malmesbiriensis* quidem, qui librum de Glastoniensis ecclesiae antiquitate ante a. 1126 conscripsit, haecce refert: (Gale III, 296.) »Nam sicut a majoribus accepimus, Gildas neque insulsus neque infacetus historicus, cui Britanni debent, si quid notitiae inter caeteras gentes habent, multum annorum ibi (Glastoniae nempe) exegit loci sanctitudine captus. Ibidemque AD 512 de medio factus in vetusta ecclesia ante altare est sepultus.«

*Galfridus Monemutensis* deinde, qui Historiam Regum Britonum a. 1147 composuit, haec dicit: »Cum multa mecum et de multis saepius animo revolvens in historiam regum Britanniae inciderem, in mirum contuli, quod intra mentionem quam Gildas et Beda luculento tractatu fecerant, nihil de regibus qui ante Incarnationem Christi Britanniam inhabitaverant, nihil etiam de Arturo ceterisque compluribus qui post Incarnationem successerunt, reperissem.«

At ille ubi Gildam sequitur (Hist. VI, 1. 2. 3.) de auctore silet, a Gilda vero quae se hausisse refert, ab aliis sumsit. In Hist. VI, 13 enim Germani miracula enarrat, »quae« ait »Gildas in tractatu suo luculento sermone

paravit.« Verum haec exstant in Historia Britonum § 32 etc. quam ille ut plerique ejus aetatis scriptores Gildae attribuit. Idem alios qui jam perditi sunt, a Gilda libros, de legibus Molmutinis (Hist. II, 17) et de »Victoria Aurelii Ambrosii« (IV, 19) scriptos esse putavit, quórum in posteriore se nomina et actus Fagani Duvianique et sociorum ab Eleutherio papa missorum invenisse refert. Nec denique in Gildae libris neque in Historia Britonum invenitur, quod Galfridus de Lud, Cassibelauni fratris, et Nennii contentione refert, quam, ait, »quia Gildas historiographus satis prolixe tractavit, ea praeterire praeelegi.«

*Giraldus Cambrensis* denique in Cambriae descriptione c. a. 1185 scripta Gildae mentionem facit. Dicit enim in praefatione, (Anglia Sacra p. 880) »Prae aliis itaque Britanniae scriptoribus solus mihi Gildas, quoties eundem materiae cursus obtulerit, imitabilis esse videtur, quia ea quae vidit et ipse cognovit, scripto commendans excidiumque gentis suae declarans potius quam describens veram magis historiam texuit quam ornatam.«

Idem in libello de Illaudabilibus Walliae c. II. (Wharton Anglia Sacra II, 448) Gildam plane secutus sub finem addit »De Gilda vero qui adeo in gentem suam acriter invehitur, dicunt Britones, quod propter fratrem suum Albaniae principem, quem rex Arthurus occiderat offensus haec scripsit. Unde et libros egregios quos de Gestis Arthuri et gentis suae laudibus multos scripserat, audita fratris sui nece omnes, ut asserunt, in mare projecit. Cujus rei causa nihil de tanto principe in scriptis authenticis expressum invenies.«

Quod quum desit in Codice Westmonasteriensi haud scio an a librario quodam fuerit adjectum.

Huc etiam pertinet nota librarii, quae sub finem codicis F exstat, de qua infra. Ibi Gildas magnum fertur de Britonum regibus librum scripsisse.

Iisdem fere temporibus Gildae Vitae compositae sunt, altera XII saeculo a Ruyensi quodam monacho (ed. Mabillon Act. Sanct. saec. 1.) a Caradoco Lancarvensi, ut fertur, altera (ed. Stevenson cum Gildae scriptis 1838). Hanc vero neque a Caradoco scriptam et XII saeculo antiquiorem esse, in praefatione (ibid.) Stevenson docuit. Sufficit pauca de ea dicere.

Auctor hujus Vitae Gildam Sapientem, Sanctum, Doctorem, Historiographum vocat. »Fuisse eum unum ex 24 Nau Albaniae regis filiis et 7 annos in 7 artibus studuisse in Gallia. Dein cum remeasset cum mole diversorum voluminum, audita ejus fama confluxisse undique plurimos ad eum scholares. Eundem Ardmachae quoque studium rexisse, dein Romam profectum campanam Pontifici dono dedisse, reversum inde Lancarvense rexisse studium, posthac cum Cadoco in insulis Sabrinae fluminis commoratum, a Danis denique expulsum confugisse Glastoniam et ibi scripsisse historias de regibus Britanniae: Tum vero quum urbs ab Arthuro obside-

retur, hunc reconciliasse cum Melcuamo rege; eamque ob causam multa reges Glastoniae ecclesiae territoria donasse. Tandem Gildam mortuum Glastoniae et in ecclesia St. Mariae esse sepultum.« Haec fere ille.

Tales quidem fabulas nos hoc loco non facile repetituri eramus, nisi doctissimos viros induxerint, duos statuere Gildas. Quae hodie communis fere omnium sententia levioribus fulcitur argumentis. Maximum est illud, quod Guilielmus Malm. Gildam obiisse referat a. 512, obsessio vero Badonici montis facta sit a. 520, quo anno se natum esse Gildas ipse testificatur. Hinc non solum Balaeus sed etiam Usserius, cujus maxima est in indaganda antiquitate auctoritas conclusit, alium esse Gildam Albanium, Badonicum alium. Quod luce clarius esset si tam de anno obsessionis illius, quam de Gildae aetate inter omnes medii aevi scriptores constaret. Beda quidem Gildae locum perperam interpretatus Badonicum montem obsessum esse a 493 putavit, reliqui calculum non subduxerunt. Annales Cambriae vero id a. 516, Matthaeus Westmon. a. 520 factum referunt. Neque de Gildae aetate certi quidquam tradunt isti scriptores. Hoc unum ex locis supradictis et Vitis colligi licet, Gildam eos Arthuri aequalem habuisse. Guilielmus unus Gildam a. 512, Arthurum a. 542 decessisse refert. Stolidissimae vero fabulae aliique qui in libro ejus exstant calculi, parum apti sunt ad fidem faciendam. Idem enim Davidem episc. mortuum esse refert a. 546, Annales Cambriae vero a. 601. Quanta vero temporum ac rerum confusio quanta fabularum fictio XII saeculo fuerit, nemo nescit. Incertitudo igitur temporum causa non est, cur duo statuantur Gildae. Sed quod pluris est, silent omnia tam vetusta quam medii aevi monumenta de altero Gilda; qui si talis ac tantus vir exstitisset, apud Gildam, Bedam, Annales Cambrenses ac prorsus omnes scriptores nullam omnino ejus mentionem fieri, mirari satis non possemus. *Rejicienda est igitur ista, duos fuisse Gildas, conjectura,* quae ut aliae innumerabiles conjecturae et fabulae ex Balaei et Pitsii officina prodiit, qui quum respuere repugnantia nollent, inter duas ea personas distribuerunt.

*Unus ergo, de quo agitur Gildas fuit,* de quo certissima quaedam quanquam paucissima quum ex antiquis testimoniis tum ex ipsius scriptis cognosci licet. Haec enim ipse sub finem Historiae dicit (§ 26) »Ex eo tempore nunc cives nunc hostes vincebant ... usque ad annum obsessionis Badonici montis .... quique quadragesimus quartus ut novi oritur annus mense jam primo emenso, qui jam et meae nativitatis est.« Hic vero annus quum secundum Annales Cambriae X saeculo scriptos (conf. infra) LXXII sive 516 nostrae aerae sit (520 Matth. Westmon.) natus est Gildas a. 516, Historiam autem composuit a. 560 (564). Epistolam vero ante annum 547 scripsisse videtur, siquidem idem est Mailcunus, quem in Epistola quasi praesentem increpat cum Mailcuno, quem a. 547 mortuum esse Annales

Cambr. referunt (Ann. Tigernachi ad a. 560). Ibidem ad a. 570 notatum est: »Gildas obiit.«

Neque de nomine ejus est dubium. Gildus a Beda et Alcuino, Gildas a popularibus vocatur, quorum major in hac re auctoritas est. Sapiens vero jam VIII saeculo, Alcuino auctore et habitus et vocatus esse videtur. Sunt deinde, qui Cormac ei cognomen fuisse ex hac librarii nota concluserint (§ 26):

»Historiam Gildae Cormac sic perlege scriptam
Doctoris digitis sensu cultuque redactam.
Haec tenues superat multos carpitque superbos.«

At Cormac librarii potius nomen esse apparet.

Venimus ad *Scripta* Gildae. Horum duo tantum neque vetusti codices in Bibliotheca Cantabrigiensi exstant, quorum alter F. f. 1. 27 notatus membran. fol. sub finem XII vel initio XIII saeculi a Dunelmensi monacho, ut videtur scriptus (cf. Stevenson), continet praefationem, capitula, rubricam, historiam. In altero autem, qui notam D. d. 1. 17 habet, Epistola quoque invenitur, sed mutilus est in initio.

*Polydorus Vergilius* primus Gildae libros typis exprimendos curavit a. 1525, dein *Josselinus* 1568; qui quos penes se codices habuerint non constat. *Galaeus* vero, qui denuo istos edidit a. 1691 (Rerum Angl. Script. vet. III, 1) praeter cod. Cant. F codicem quoque Cotton. Vitell. A, VI adhibuit, qui tamen cum aliis ejusdem bibliothecae libris a. 1731 combustus est. His vero editionibus quaeque eas secutae sunt, quum parum accurate transcriptos exhibeant codices praetermissis earum tantum mentionem facio, quae nostris temporibus doctissimis viris Stevenson et Petrie curantibus prodierunt. Ille quidem jussu Societatis historicae Anglicanae ex codicibus istis diligentissime Gildae scripta edidit a. 1838 praemissa tam praefatione, in qua de Gilda et libris ejus disseruit, quam Vita Caradoco adscripta. Petrie vero, Josselinum Codice Cott. isto usum esse opinatus, hunc sequi maluit.

Nos autem divisionem quam Stevenson fecit, additis Galaei capitulis sequamur.

Beda et Alcuin titulos librorum non produnt, Josselinus utrumque Epistolam inscripsit. Giraldus vero Historiam librum »de excidio Britonum« vocat. Codex denique Cant. F titulos »Historia Gildae« et »Epistola Gildae« exhibet, Rubrica vero Historiae haec est praeposita »Incipit liber querulus S. Gildae Sapientis de excidio Britanniae.«

His praemissis adeamus jam *Historiam Gildae.* Et primo de Praefatione, Capitulis, Rubrica dicendum est.

*Rubrica* quidem, quae in codice F tantum exstat nihil est nisi pars Capitulorum antecedentium. Initium ejus ex titulo Praefationi praeposito sumtum esse videtur. Sed quae sequuntur, ad verbum fere congruunt cum

Capitulis II — VIII omisso VIImo. Quod dormitans librarius, qui forsitan ex variis ea codicibus transcripsit, non vidit.

*Capitula* quoque quae contineant nonnulla ex Beda sumta, librarius quidam adjecit.

*Praefationem* vero nemo a Gilda fuisse scriptam negat. Simillima est enim Historiae stilo ac sermone. At ejus conclusio suspicionem mihi movet. Sunt enim XXVI capitula addita ante dictis multo accuratiora. Quae si primitus exstitissent, librarius non sane alia ista minus apte confecisset.

Eadem sub finem codicis F repetita sunt. At librarius his verbis alium se Gildam promisisse librum scripturum ratus addidit: »Fecit namque ipse Gilda librum magnum de regibus Britonum et de proeliis eorum, sed quia vituperavit eos multum in eo libro, incenderunt ipsi librum illum.« (cf. supra Girald. de Illaud.)

Haec quum ab aliis sint omissa, non praetermittenda existimavi.

De libri *consilio* ac *fontibus* ipsum audiamus auctorem, qui (§ 4. Cap. II) praemisso, se neque priscos communesque cum omnibus gentibus errores neque vetustos velle tyrannorum annos enumerare, ita pergit: »illa tamen proferre conabor in medium, quae temporibus imperatorum Romanorum et passa est et aliis intulit civibus longe positis mala: quantum tamen potuero non tam ex scripturis patriae scriptorumve monumentis — quippe quae vel si qua fuerint, aut ignibus hostium exusta aut civium exilii classe longius deportata non compareant — quam transmarina relatione, quae crebris irrupta intercapedinibus non satis claret.«

***Vetustiora igitur Gildae libris monumenta neque spes est, unquam in Britannia inventum iri, neque usquam terrarum adhuc reperta sunt.***

Historiae consilium atque ordinem quo facilius perspiciamus dispositionem libri, et fontes ac temporum rationem breviter explicemus.

| Historia. | Stev. §§. | Gale. Cap. | Fontes. | Calculus. (Gildas nullum omnino subduxit.) |
|---|---|---|---|---|
| Praefatio . . . . . . . . . . | 1. 2. | | | |
| 1. Descriptio Britanniae — Britonum indoles — Auctoris consilium. . . . . . . . | 3. 4. | I. II. | Cosmogr. Aethici? | |
| 2. Romani insulam aggressi subjiciunt. . . . . . . . . . | 5—7. | III—V. | Florus? Orosius? | ante X (55) |
| 3. Britones Tiberii temporibus conversi . . . . . . . . | 8. | VI. | Euseb. | post X (37) |
| Persecutio Diocletiana. . . | 9—11. | VII. VIII. | Euseb. | (305) |
| Fides usque ad Arianae haereseos ortum servata . | 12. | IX. | | (370?) |

| Historia. | Stev. §§. | Gale. Cap. | Fontes. | Calculus. |
|---|---|---|---|---|
| 4. Maximi dominatio . . . . . | 13. | X. | Sulp. Sev. (Oros?) | (383) |
| Pictorum Scotorumque invasiones . . . . . . . . . . | 14. | XI. | | |
| 5. Legationes: prima — auxilium — invasio . . . . . . | 15. 16. | XII. XIII. | | (c. 390) |
| secunda — auxilium — invasio — miseria . . . . . . | 17—19. | XIV—XVI. | | (400) |
| tertia ad Aëtium . . . . . | 20. | XVII—XIX. | | (446) |
| Victoria — Britonum vitia | 21. 22. | XX—XXII. | | |
| 6. Saxonum adventus et oppressiones. Aurelius . . . | 23—25. | XXIII—XXV. | | (449) (466) |
| 7. Obsessio Badonici montis. | 26, α. | XXVI. | | (520) |
| Britanniae status Gildae aetate . . . . . . . . . . . . | 26, β. | XXVI. | | (560) |

Transimus ad *fontes*, ex quibus Gildas hausit.

In Britanniae *descriptione* paucissima ab externis scriptoribus sumsisse videtur. Longitudo insulae (800 M Pass.) latitudo (200 M Pass.) cum Cosmographia Aethico adscripta plane concinit. Multa, quae Diodorus, Strabo, Plinius prolixius tractarant, desiderantur. Sed magno sunt pauca aestimanda, quae de insulae statu qualis suis fuerit temporibus, memoriae tradidit. Tunc enim fuisse discimus 28 civitates vel oppida, nonnulla castella, muros, turres, serratas portas, domus munitionibus et decoramentis instructas. Dein (§ 4. II) patriae portenta diabolica memorat »pene numero vincentia Aegyptiaca quorum nonnulla lineamentis adhuc deformibus intra vel extra deserta moenia solito more rigentia torvis vultibus intuemur.«

Romanorum deinde invasionem his fere verbis describit (§ 5. III): Obtento a Romanis orbis imperio quum in omni terra tunc cessarent bella, non aciem flammae caeruleo oceani torrenti cohiberi vel extingui potuisse. Quae forte a Floro sumta sunt, qui »omnibus, ait, terra marique captis respexit (Caesar) oceanum et quasi hic Romanus orbis non sufficeret, alterum cogitavit.«

At omnino difficillimum est dictu, quos hic maxime secutus sit auctores. Non enim solum quae paulatim facta sunt, in unam quasi compressit imaginem, sed et adeo imbelles fuisse ac timidos Britones opinatus est, ut Romani solis minis eos prosternerent, dein quum subdole praefectos Romanorum trucidassent, alios supplicio afficerent mancipio darent alios praefectis, ita »ut non Britannia sed Romana insula censeretur et quidquid haberi posset aeris, argenti vel auri, imagine Caesaris notaretur.«

Quod ante Claudium non factum fuisse scimus. Fortiter autem restitisse Britones, Romanorum scriptores ad unum omnes consentiunt. *Ex his*

*intelligi licet, Gildam antiquitatis parum fuisse peritum.* Quae inde usque ad Diocletianam persecutionem a Romanis gesta sunt omisit. Sed multo diligentius, quae de Maximo retulit, ab externis hausit fontibus, quos quo facilius indoles Gildae atque ratio in componenda historia diluceat, addendos existimavimus.

*Gildas § 13. X.*

»Itemque tandem tyrannorum virgultis crescentibus ... insula ... germen suae plantationis amarissimae ad Gallias magna comitante militum caterva, insuper etiam imperatoris insignibus quae nec decenter usque gessit nec legitime, sed ritu tyrannico et tumultuante milite — Maximum misit. Qui callida primum arte potius quam virtute finitimos quosque pagos vel provincias contra Romanorum statum per retia perjurii mendaciique sui facinoroso regno adnectens et unam alarum ad Hispaniam alteram ad Italiam extendens et thronum iniquissimi imperii apud Treveros statuens tanta insania in dominos debacchatus est, ut duos imperatores legitimos unum Roma, alium religiosissima vita expelleret. Nec mora tam fertilibus vallatus audaciis apud Aquilejam urbem capite infando caeditur, qui decorata totius orbis capita regni quodammodo cervicibus dejecerat.«

*Sulpicius Sev. Vita Martini 23.*

»Maximus ferocis ingenii vir et bellorum civilium victoria elatus.«

*Idem Dial. II, 17.* »Vir omni vitae merito praedicandus, si ei vel diadema non legitime tumultuante milite impositum repudiare licuisset.

*Orosius Hist. VII, 34.* Maximus vir strenuus et probus atque Augusto dignus nisi contra sacramenti fidem per tyrannidem emersisset in Britannia invitus propemodum ab exercitu imperator creatus, in Galliam transiit, ubi Gratianum Augustum subita incursione perterritum atque Italiam transire meditantem dolis circumventum interfecit, fratremque ejus Valentinianum Augustum Italia expulit.

***Prosper*** ad a. 384. Gratianus Lugduni captus et occisus est.

***Prosper Tyro*** ad a. 385. Apud Treveros Manichaei deprehensi summo Maximi studio exterminati sunt.

***Sulp. Sev.*** (cf. supra) Martinum refert Maximi mensae participem esse noluisse, qui duos imperatores unum regno alterum vita expulisset.

***Prosp. Aq.*** ad a. 388. Maximus tyrannus a Valentiniano et Theodosio imperatoribus in tertio ab Aquileja lapide spoliatus indumentis regiis sistitur et capite damnatur.« (Similiter Sulp. Sev.)

Huc usque pauca quidem ex aliis monumentis collegit. Sed quos inde sit auctores secutus, frustra quaerimus. Id igitur potius videndum erit, utrum in reliqua historiae parte consentiat veteribus an repugnet scriptoribus.

*Ammianus Marcellinus* quidem, qui c. a. 400 floruit, in libro XXIV, 4 refert, Valentiniano imperatore et Valente augusto (qui secundum Gronovii calculum in imperium adscitus fuit a. 364) »Pictos Saxonesque atque Scottos et Attacotos Britannias aerumnis vexavisse continuis.«

*Prosper Tyro* ad a. 382 »Incursantes ait Pictos et Scotos Maximus strenue superavit.«

*Claudius Claudianus* qui c. a. 400 viguit, Stilichonem tradit Scotos Pictosque repulisse (cf. de III. Cons. Hon. a. 396; de IV. Cons. Hon. a. 398.) Dein in libello de I. Cons. Stilich. a. 400. Britanniam loquentem facit:

»Me quoque vicinis pereuntem gentibus, inquit,
Munivit Stilichon totam quum Scotus Jernen
Movit et infesta spumavit remige Tethys.
Illius effectum curis ne tela timerem
Scotica nec Pictum tremerem et cet.«

*Procopius* dein ad a. 407. *Βρεττανιαν μεντοι Ῥωμαιοι ἀνασωσασθαι οὐκετι ἐσχον ἀλλ' οὐσα ὑπο τυραννους ἀπ' αὐτου ἐμενεν.*

Romani igitur ab hostibus undique circumventi Britanniam defendere amplius non poterant. Unde factum est, ut a. 407 primo Marcus et Gratianus, dein Constantinus imperatores a militibus eligerentur (conf. Sozom. Hist. VI, 2. Prosp. ad a. 407. Oros. ad a. U. C. 1165. Prosp. Tyro ad 409). Constantino verum, qui cum exercitu in Galliam profectus vel Iberiae sibi partem subjecerat, orta militum seditione interfecto copiae victae ac dispersae sunt.

*Prosper Tyro* denique ad a. 441 haec notat:

»Britanniae usque ad hoc tempus variis cladibus eventibusque latae in ditionem Saxonum venerunt.«

*Cum his quae veteres memoriae tradiderunt scriptores Gildas plane fere congruit,* qui Maximi expeditionem (§ 14. XI) miseriarum Britonum causam atque initium habuit. Is enim quum omnem juventutem deduxisset in Galliam, Britones hostibus resistere jam non poterant. Igitur post decem fere annos Britones legatos Romam misisse videntur (§ 15, XII). Unde auxilio iis lato vallum cespitibus exstruxerunt c. a. 396—398. Quo quum reversis Romanis arceri hostes non possent, iterum a Romanis auxilium petierunt (§ 17. 18. XIV). Et tum sane Stilicho non solum milites misit, sed et vallum lapidibus restituendum curavit a. 400 (cf. Claud.). Jam vero relicta insula Romani nunquam eo rediisse videntur. Et quum post multos annos Britones ab Aetio auxilium petiissent, repulsam tulerunt. Hanc vero legationem factam fuisse a. 446 ex literarum initio (§ 19. XVI) concluditur, quod hoc est: »Agitio ter consuli gemitus Britonum« Aetius enim primo Consul fuit cum Valerio a. 432, tertio a. 446. Hoc autem unum, nisi tertius Aetii consulatus cum primo vel secundo fuerit confusus, cum Prospero (ad a. 441) pugnat.

Gildas igitur hac in re cum Beda concinit, qui Saxones a Britonibus a. 447 vel 449 invitatos esse tradit. Non enim statim post reversam ab Aetio legationem Gilda auctore Saxones advenerunt, sed Deo confisi victoriam Britones ab hostibus reportarunt et tum demum invalescente luxuria et ignavia contra Pictos Scotosque a Saxonibus petierunt auxilium. Quod vero *ad primas duas legationes spectat, cum veteribus scriptoribus Gildas multo magis congruit, quam Beda,* qui eas in Chronico inter VII et XII Honorii et Theodosii II annum (c. 414—419) factas esse refert. Cujus calculi ratio prorsus latet. Gildas dein qui transmarinos vocat Scotos Pictosque, Scotos ab Hibernia venisse censuit, Beda aliter rem interpretatus est.

Quae reliqua sunt, Aurelii pugnas (§ 25. XXV) obsessionem Badonici montis (a. 516 Annal. Camb.) Britonum statum et conditionem, quum alia desint monumenta, omittentes ad *Ecclesiasticam historiam* transimus. Primo quidem de *Britonum conversione* dicendum est, de qua quum nihil a popularibus traditum invenisset Gildas ex Eusebii Historia haecce compilavit:

*Gildas § 8. Cap. VI.*

»Interea glaciali frigore rigenti insulae et velut longiore terrarum secessu soli visibili non proximae verus ille sol non de firmamento solum temporali sed de summa etiam coelorum arce cuncta tempora excedente orbi universo praefulgidum sui coruscum ostentans, tempore ut scimus summo Tiberii Caesaris, quo absque ullo impedimento ejus propagabatur religio, comminata senatu nolente a principe morte dilatoribus militum ejusdem radios suos primum indulget, i. e. sua praecepta Christus.«

*Euseb. Ruff. interp. HE II, 2. 3.*

*II, 2.* »Interea cum per omnem jam locum de resurrectione et mirabilibus domini nostri .... et de ascensione ejus ad coelum felix fama loqueretur...... Quae profecto divina providentia ita tunc Caesaris sensibus ingessit, uti absque ullo obstaculo in ipsis duntaxat initiis Evangelii sermo usquequaque percurreret.«

*II, 3.* »Unde et factum est, ut repente quasi coelitus lumen ostensum aut radius quidam solis erumpens totum orbem claritate superni luminis illustraret et illa prophetia compleretur ... in omnes terras exivit sonus eorum, Evangelii duntaxat et Apostolorum.«

*Euseb. Chron. ad ultim. a. Tib.*

»Pilato de Christianorum dogmate ad Tiberium referente Tiberius retulit ad senatum, ut (Christus) inter caetera sacra reciperetur. Verum quum ex consulto patrum Christianos eliminari urbe placuisset, Tiberius per edictum accusatoribus Christianorum comminatus est mortem — *scribit Tertullianus in Apologetico.*«

*§ 9. VII.* »Quae licet ab incolis tepide suscepta sunt, apud quosdam tamen integre et alios minus usque ad persecutionem Diocletiani permansere.« — Haec fortasse ex Eus. VIII, 1 ad res Britannicas Gildas accommodavit.

***Ex his intelligi licet, non solum, quando vel a quo fides christiana in Britanniam fuerit allata, ne fama quidem perhibitum fuisse VI saeculo, sed alios quoque ecclesiasticos scriptores, qui de Britonum conversione quaedam prodiderunt, Gildae ignotos fuisse.*** Illud vero Tertulliani (Apol. V, 1) quod Eusebius et ab hoc Gildas descripsit, valde dubium esse communis jam est virorum doctorum sententia. Sed etiam si fides habenda esset illi loco, nihil tamen ad res Britannicas pertineret.

Quae dein prodita sunt de ***Diocletiani persecutione*** partim ex Eusebio mutuatus est Gildas, partim per manus tradita accepit. Sic autem apud eum scriptum est:

*Gild. § 9. VII.*

.... persecutionem Diocletiani novennem, in qua subversae per totum mundum sunt ecclesiae et cunctae sacrae scripturae quae inveniri potuerunt in plateis exustae et electi sacri gregis Domini cum innocentibus ovibus trucidati, ita ut ne vestigium quidem si fieri posset in nonnullis provinciis christianae religionis appareret. Permansere tunc quantae fugae et strages et quantae diversarum mortium poenae, quantae religionis apostatarum ruinae, quantae gloriosissimorum martyrum coronae quanti persecutorum rabidi furores quantae e contrario sanctorum patientiae fuere — ***Ecclesiastica Historia*** narrat.

§ 10. 11. ***de martyribus.***

§ 12. VIII. »Igitur bilustro necdum adimpleto laetis luminibus quasi post hiemalem ac prolixam noctem temperiem lucemque serenam aurae coelestis accipiunt. Re-

*Eus. (Ruff.) VIII, 1.*

domus orationis et ecclesiae dei vivi ad solum deductae sunt atque ab ipsis subversae sunt fundamentis. Divinae vero scripturae in medio platearum igne crematae .....

Sacerdotes domini et pastores ecclesiae publice denudatos inverecunde et inhoneste trahi .....

*VIII, 17.* decimo anno cessasse persecutionem refertur.

*IX, 1.* »velut post nimiam tempestatem si solis splendor coelo redditus fuisset ac terris lux, duces populi nostri per singulas quasque urbes frequentare conventus, concilia agere, sacerdotia reparare singula, quasque ecclesias sicubi quidquam deesse videbatur instruere ....

*IX, 10.* .... rediviva constructione clariora et celsiora consurgere templaque excelsa pro humilibus conventiculis.

*IX, 10.* interea festivitates a nostris laetissime gerebantur ....

mystica ministeria ordinatis ac dispositis agebantur.

*IX, 1.* ... liberati »ineffabilem laeti-

novant ecclesias ad solum usque destructas, basilicas sanctorum martyrum fundant, construunt, perficiunt, ac velut victricia signa passim propalant, dies festos celebrant sacramenta mundo corde oreque conficiunt, omnes exultant filii, gremio ac si ecclesiae matris confoti. Mansit haec capitis membrorumque consonantia suavis donec *Ariana perfidia* et cet.

tiam atque exultationem Dei ecclesiis exhibebant.

*IX, 10.* populi .... tanquam vere membra unius corporis Christi jungi sibi invicem .... gaudebant.

*Ab Eusebio igitur Gildas mutuatus est, quaecunque ei ad adumbrandam Britannicae ecclesiae historiam quadrarent.* At nimis accurate Eusebii narrationem transcripsit. Pugnat enim tam quod ad tempus, quam quod ad rem spectat cum vera historia. Persecutionem enim istam in occidentali regni parte (Italia, Sicilia, Gallia et cet.) secundo anno nondum impleto cessasse Euseb. de Martyr. Palaest. c. XIII refert; Constantinum autem Christianis ipsi subditis comem se atque amicum praebuisse, ex Eus. Vita Const. I, 13 et H. E. VIII, 13 satis constat.

*Omnis igitur pristinae ecclesiae memoria apud Britones obruta fuisset oblivione, nisi Albani atque Julii et Aaronis martyrum vel in tantis tenebris fama superstes fuisset* (§ 10. 11. VIII). Id quoque magni momenti est quod illos Verolamii, municipio Romano et in Urbe Legionum supplicio esse affectos perhibetur. Unde suspicari licet, oppida ista incunabula quasi fidei christianae fuisse.

Arianam aliasque haereses Gildas leviter tetigit (§ 12. IX).

»... donec Ariana perfidia atrox ceu anguis transmarina nobis evomens venena fratres in unum habitantes exitiabile faceret sejungi;

*Eus. X, 1.* Contagionem refert pestiferae assertionis infecisse non solum Alexandriam sed et alias urbes et provincias.

ac sic quasi via facta trans oceanum omnes omnino bestiae ferae mortiferum cujuslibet haeresios virus horrido ore vibrantes letalia dentium vulnera patriae novi semper aliquid audire volenti et nihil certi stabiliter obtinenti infigebant.«

Gildam his verbis ad Pelagianam quoque haeresin respexisse nemo infitias ibit. At suo more unam ejusdem generis picturam delineasse satis habuit. Ariana autem haeresis non ante annum 363, quo Athanasius ad Jovianum Britannicas ecclesias immunes esse scripsit, inducta in Britanniam esse videtur. Non tamen multo post quum ante Maximi res gestas ista relata sint.

Ab hoc vero tempore nihil fere quod ad ecclesiasticam historiam pertineat, occurrit. Nec mirum quum hostibus insulam vastantibus et perversis

invalescentibus doctrinis sacra misceri et negligi coepta essent. Semel tantum non armorum vi sed precum victores exstiterunt. Sed mox quum Saxones gentem subigere coepissent, sacrorum et morum consecuta est ruina. Ecclesiae solo aequantur, interficiuntur sacerdotes, alii trans mare, in montes alii confugiunt. Tandem victoria ad Badonicum montem (a. 516) parta ad pristinam morum simplicitatem et ad Dei timorem sese revocant. Jam reviviscere coeperunt sacra, literae, respublica.

At hanc brevi consecuta est Gildae aetas, cujus in Epistola verissimam, ut opinor, expressit imaginem.

*Jam si quaerimus, quid Gildae Historia ad perspiciendam Ecclesiae originem, progressum, statum suppeditet, omissis quae ex Eusebii Historia transcripta sunt perpauca remanent, fuisse nempe initio IV saeculi in duobus Romanis oppidis, qui Christianae essent religioni addicti, Arianam dein haeresin aliasque post eam inductas esse sub ejusdem saeculi finem, a Saxonibus denique dirutas esse ecclesias. Quaecunque vero IV saeculo sunt priora perpetua sunt oblivione obruta.*

Auctoribus Gildas in Historia usus est paucissimis, Eusebio maxime, dein Sulpicio Severo, Hieronymo quoque cujus ex libro de scriptoribus ecclesiasticis sumsisse videtur, quae de Porphyrio ait. Unum Porphyrii unum Philonis dictum affert (§ 4. 20). Virgilii denique illud Aen. IX, 24 § 25. XXV. De sacrae scripturae qua usus sit versione infra dicamus si prius de Epistola disseruerimus.

## *Gildae Epistola.*

Haec quam ex codice Cottoniano Galaeus descripsit (cf. supra) in uno codice Cantabrig. D. d. 17. hodie exstat.

Primitus vero Epistola et Historia »Gildae libri« nomine nota fuisse videtur, unde et Vergilium utramque in suo codice nulla interposita rubrica continuo scriptam invenisse, verisimile est.

Quod eo facilius fieri potuit, quum Epistola continuatio quodammodo sit Historiae. Gildam vero ejus auctorem esse tam genus scribendi quam vetustissima docent testimonia (conf. supra). Non tamen nego eam et dispositione et compositione praestare Historiam, ut hac illam posteriorem esse, nisi Maileuni aetas officeret, facile mihi persuaderem. Est autem haec illius dispositio:

I. *Principum objurgatio.*

1. Mores eorum describit § 27.
2. increpat singulos § 28—36.
3. exhortatur eos locis ex Vet. Test. adductis § 37—64.
4. Conclusio § 65.

II. *Sacerdotum.*

1. Mores eorum § 66—68.
2. Exempla
   a) ex Vet. Test. § 69—72.
   b) ex Nov. Test. § 73.
   c) ex Eccl. Hist. § 74. 75.
3. Adducit ad illos admonendos multa
   a) ex Vet. Test. § 76—91.
   b) ex Nov. Test. § 92—105.
   c) ex ritu sacro § 106—109.
4. Conclusio § 110.

Haec quidem epistola quamquam illustrandae Britannicae antiquitati plurimum inservit, nos tamen, quum vix quidquam ex aliis sit scriptoribus sumtum nisi ex literis sacris, paucis eam absolvemus.

De quinque quos Gildas increpat, principibus vix quidquam ad nos pervenit. Ignoramus enim plane de Aurelio Conano de Vortiperio et Cunegla. Dubito deinde, quin Constantinus Damnoniae rex idem fuerit ac ille Constantinus cujus »conversionem ad Dominum« Annales Cambr. ad a. 589, Ann. Tigernachi ad 588, Ulton. ad 587 referunt. Non solum enim nota ista ab Hiberniensibus Annalibus sumta esse videtur, sed neque tempori, quo Epistola scripta est (547) consentit, neque personae, quum Gildas Constantinum ut Christianam religionem profitentem adloquatur, verbum autem conversionis ex pagano quemquam Christianum factum significet.

Maglocunus vero seu Mailcun, Venedotiae rex idemque princeps Cambriae regulorum non alius sane est quam Mailcun iste cujus mortem in Ann. Cambr. his notatam verbis invenimus ad a. 547 (Ann. Tig. 550) »Mortalitas magna in qua pausat Mailcun rex Genedotiae.« Quem quum Gildas quasi praesentem increpet in Epistola, hanc ante a. 547 esse scriptam, licet suspicari. Idem Gilda auctore »totius paene Britanniae magistro« praeceptore usus est, quem Iltutum esse Usserius censet. Et valde dolendum est neque hujus neque ullius sacerdotis vel episcopi nomen Gildam memoriae tradidisse, neque ecclesiae vel monasteria quaenam fuerint et ubi, denotasse. Attamen Epistolam ejus inter maxima Britannicae antiquitatis monumenta numerare non dubito.

Verissimam enim Celtarum gentis imaginem expressit. Vides summam in iis inconstantiam, levitatem, temeritatem. Homines bellicosi, audaces, iidem ignavi et luxuriosi. Divitiarum modo cupidissimi, largitores modo prodigi. Ut totos se sanctis addicebant cerimoniis, ita nihil alias pro sancto habebant. Erant injuriarum saevissimi ultores, perfidi, perjuri, sacrilegi. Quae gentis

descriptio iis, quae de Celtarum indole, et continuis regulorum bellis tum Scriptores Romani tum Annales Cambrenses et Hibernienses prodiderunt, adeo consentit, ut de Gildae fide dubium esse nullum possit. An quis eum non veracem existumet auctorem, qui non principum solum sed et sacerdotum tam gravis fuit tamque severus castigator? Nisi quis forte ideo auctoritatem illi detrahendam putat, quod virtutes parum laudaverit, acerbissime vituperaverit scelera. Sed quorum summa acerbitate reprobat vitia, eosdem patria caritate ad emendandam vitam exhortatur.

*Sacerdotes* tunc plurimi erant, quorum jam depravari mores Gildas conqueritur. Erant enim avidi divitiarum, sacrorum negligentes, Eleemosynas commendabant non dabant. Honorum cupidissimi sed indocti, fabulis magis quam Scripturae sacrae studio delectabantur. Munera ambiebant, emebant, surripiebant. Mendaces erant, rapaces, sacrilegi. Peregrinari malebant, quam officiis fungi, reversi domum novos semper invehebant errores. Non tamen omnes ejusdem fuisse generis tam Gildas ipse quam alii, qui in summis semper habebantur honoribus sunt documento.

Et magna Ecclesiae auctoritas iis temporibus sane fuit, quibus non tantum plurimi ubique sacerdotes erant, sed et ipse Mailcun rex ecclesiasticam sibi quondam vitam elegerat, Cuneglae vero germana perpetuam voverat viduitatem.

Pauca deinde *de institutionibus sacris* ex Epistola intelligere licet. Episcopos enim Gildas dicit »sedere in sacerdotali sede« vel »sacerdotali cathedrae insidere« vel »apostolicam sedem obtinere.« Homines, ait, parum idonei »quemlibet ecclesiasticum ut non dicam summum gradum adipiscuntur«, et »sacerdotalem episcopatus vel presbyteri sedem arripiunt.«

Varii ergo apud Britones tum sicut apud Gallos et Romanos *gradus sacerdotales* fuere, quorum summus fuit *episcoporum,* penes quos ordinandi presbyteros et ministros potestas erat. Hoc inferior *presbyterorum* gradus. *Pastores* nescio an in pagis officiis ecclesiasticis functi sint. *Ministri* quos quam plurimos esse Gildas refert, iidem sane fuerunt, qui ab aliis diaconi solent vocari. *Clericorum* vero nomine monachos significari, probabile est. Monacharum denique, quas »coelicolas nymphas« vel »religiosas matres ac sorores« appellat, mentio fit. De *ritibus sacris* quoque pauca tradita sunt, de Lectionibus nempe et »benedictione, qua initiantur sacerdotum vel ministrorum manus.« Sunt autem hae quae in ordinationis die legi solebant, Scripturae partes:

| Gildas. | Lectionarium Luxoviense. | Comes Pamelii. |
|---|---|---|
| I Petri 1, 3. 13. 14. 22.<br>2, 1. 9.<br>Acta 1, 15. 16.<br>»secunda lectio Pauli«<br>I Tim. 3, 1 etc.<br>Matth. 16, 16—18. | a) *Ordin. Episcop.*<br>Maleach. 1, 6—11.<br>I Cor. 9, 7—12.<br>Luc. 20, 45 — 21, 4.<br>b) *Diacon.*<br>Ezech. 44, 15. 16.<br>I Tim. 3, 8—13.<br>Luc. 9, 57—62.<br>c) *Presbyt.*<br>Tit. 1, 1—6.<br>Luc. 12, 42—44. | a) *Episcop.*<br>I Timoth. 3, 1 etc.<br>Joh. 12, 24; Matth. 24, 42.<br>vel Tit. 1, 7; Marc. 6, 6.<br>vel Matth. 10, 1; Luc. 10, 1.<br>Joh. 10, 12.<br>b) *Presbyt.*<br>Sirach 35, 2.<br>Matth. 24, 42.<br>c) *Diacon.*<br>I Tim. 3, 8.<br>Joh. 12, 24. |

*Unctio* denique *manuum*, quum Romani caput et pectus unguere solerent, apud Gallos usitata erat. Neque hic ritus a Romanis ante annum 867 receptus esse videtur, siquidem Nicòlaus I pontifex in Epistola ad Rodulfum Bituricensem id Romani moris esse negat. Amalarius vero de divino Officio II, 13 »hunc« ait »morem tenent episcopi nostri: manus presbyterorum unguunt de oleo.« (cf. Martene II, 23.) Formula benedictionis apud Gildam non exstat, sed in antiquo Pictaviensi Cod. (VII saec.) qui quondam in Christinae Reg. Bibliotheca et nunc in Vaticana est: »Consecrentur manus istae et sanctificentur per istam unctionem et nostram benedictionem ut quaecumque benedixerint, benedicta sint, et quaecumque sanctificaverint, sanctificentur per Dominum et cet. Simillimas huic formulas vel apud Saxones posthac in usu fuisse videre licet ex Pontificali Egberti Archiepiscopi (IX saec. et Salisbiriensi XII saec.) aliisque (conf Mart. ib.). In Sacramentario Noviom. (IX saec.) sola manuum unctio occurrit. Sed de his satis diximus. Similes vero Gallicanis fuisse ritus Britannicos nemo non videt.

Ex *Scriptura sacra* Gildas in Historia paucos, plurimos in Epistola adduxit locos. Qua in re quum variis usus sit versionibus, ita rem breviter explicabimus, ut uno in conspectu omnia videantur.

| Gildas. | quot loci. | LXX. | Itala. | Vulg. |
|---|---|---|---|---|
| *Pentateuch* . . . . . . | 5 | | | |
| Gen. V, 24<br>Ex. XXXII, 31<br>Deut. V, 29 . . . | . . | = | conf. Hier. Aug. | |
| Deut. XXXII, 29. 30. 39 | . . | . . . . . | . . . . . . . | = |
| *I Sam.* | | | | |
| II, 27—31. 34 . . . . | . . | . . . . . | Lucif. pro Ath. 186. | |

| Gildas. | quot loci. | LXX. | Itala. | Vulg. |
|---|---|---|---|---|
| *I Sam.* | | | | |
| XII, 3. 4 | | | | |
| XIII, 13. 14 | | | | |
| XV, 20. 22. 23. 28. 29 | . . | . . . . . . | . . . . . . . . | fere = |
| *II Sam.* XXIV, 12. 17 | | | | |
| *I Reg.* | | | | |
| XI, 6. 11 . . . . . . . | . . | . . . . . . | . . . . . . . . | = |
| XIII, 21—24 . . . . | . . | . . . . . . | Lucifer de non conv. cum haeret. 22. | simil. |
| XVI, 2—4 . . . . . . | . . | simil. | | |
| XIX, 10, XXI, 19, XXII, 22. . . . | . . | . . . . . . | . . . . . . . . | paene = |
| *II Paralip.* | | | | |
| XV, 1. 2 . . . . . . . | . . | . . . . . . | Aug. de Grat. | |
| XIX, 2 . . . . . . . | . . | . . . . . . | Lucif. de non e. | |
| XXI, 12. 13. 15, XXIV, 20 . . . | . . | = | | |
| *Job* . . . . . . . . . | . . | . . . . . . | simil. Vers. Maj. Mon. | |
| XXI, 7—13 . . . . . | . . | . . . . . . | minus } = | |
| XXI, 16—20 . . . . | . . | . . . . . . | plane fere } = | |
| XXIV, 2—15. 18. 20. . | . . | . . . . . . | maxime = | |
| XXIV, 22—24 . . . . | . . | . . . . . . | simil. | |
| XXVII, 14. 16 . . . . | . . | . . . . . . | simil. | |
| *Psalmi* . . . . . . . | 15 | . . . . . . | = Psalter. Rom.-Gall. | = |
| *Proverbia* . . . . . . | 6 | | | |
| V, 22 . . . . . . . . | . . | . . . . . . | Aug. in Ps. 34 | |
| XI, 4 . . . . . . . . | . . | Cod. Alex. deest in Vatic. | deest. | |
| XXIV, 11. 24 . . . . | . . | simil. | sim. Lucif. pro Ath. p. 193. | |
| XXIX, 4. 12 . . . . | . . | = | desunt versus. | |
| *Prophetae.* | | | | |
| Isaias . . . . . . . . | 35 | | | |
| Jeremias . . . . . . | 54 | . . . . . . | . . . . . . . . | = |
| Ezechiel . . . . . . | 10 | | | |
| VII, 23—26, IX, 9. 10 . . . . | . . | differunt tam a Vatic., quam ab Alexandr. | | |
| XIII, 8—10. 18. . . | . . | = | sim. Hier. in Ez. | |
| v. 9. . . . . . | . . | similior Hebr. | | |
| XIV, 13 . . . . . . | . . | = | | |
| *Proph. minores* . . . . | 53 | = | | |
| Malachias I, 6—9 . . . | . . | = | | |
| II, 1—3, 5—8, III, 1—3, 13—15 . . . | . . | . . . . . . | . . . . . . . . | = |

| Gildas. | quot loci. | LXX. | Itala. | Vulg. |
|---|---|---|---|---|
| *Apocrypha.* | | | | |
| Sapientia | 17 | . . . . . | sim. Hier. | |
| VI, 8 | . . | = | | |
| Eccles. et IV Esdra | 15 | . . . . . | = | = |
| *Novum Test.* | . . | *Graecum* | | |
| Matth. | 30 | . . . . . | M.S. Colb. | |
| Joh. | 1 | . . . . . | = | = |
| Acta | 5 | . . . . . | M.S. Laud. | |
| Rom. I, 25—32 | . . | . . . . . | Ambrosiastes | |
| I, 21. IX, 3 | . . | . . . . . | M.S. Sangerm. | |
| Corinth. | 18 | . . . . . | M.S. Sangerm. | |
| *Reliquae Epist.* | 48 | partim | Aug. Ambrosiast. | 5 = |

Haec igitur hoc loco brevissime explicanda esse putavimus, quum non solum varii ex locis quos ex Graeco Gildas sumsit, vel in copiosissimis Italae editionibus desint, sed etiam quale tum fuerit literarum sacrarum studium, inde eluceat.

*Vulgata* quidem versione Gildas in Isaiae et Jeremiae scriptis usus est, in Samuelis similiter ac Regum libris, exceptis iis, quae ex Lucifero sumsit. Difficile vero dictu est, cur in Deuteronomio et Malachia LXX primo, dein Vulgatam sit secutus. Novi autem Test. loci, quamquam saepius similes sunt Vulgatae, tamen ex 110 fere locis vix 6 inveni, qui iidem cum *Itala* non congruerent. Hanc enim Gildas plerumque secutus est. Unde id quoque colligi licet, quorum penes se libros habuerit. Sunt autem Hieronymi maxime et Augustini Commentarii, Luciferi libri ac forsitan Ambrosii scripta. Praeterea Codicum Colbert. et Sangerman. et Laud. versionibus usus est. Ex *Graeco* denique multos locos tam Novi quam Veteris Test. latine vertit. Prophetas minores ex LXX versione *accuratius quam alii reddidit.* Codex vero LXX, quo usus est, ad Vaticanum maxime accedit sed ad Alexandrinum nonnunquam propius, interdum vel aliam, quae in neutro exstat, lectionem habuisse videtur (conf. Ezech. 7, 23; 9, 10. Osee 8, 1. Mich. 3, 5; 7, 1 et al.). Unde colligi licet, *diversum quem Gildas habuit LXX codicem ab Alexandrino et Vaticano fuisse.* Longum est lectiones variantes hoc loco adducere. Jam vero quum, quod infra demonstrabimus Gildae demum aetate reviviscere coepissent literae, vix alia jam Scripturae versio a Britonibus, quando Gildas scripsit, confecta fuit. Sequitur autem ex his, *Gildam ipsum locos* supra enumeratos *ex Graeco vertisse, unde illum Graecae linguae ut istis temporibus peritissimum fuisse*, cognoscimus.

His denique *Glossarium* adjungo, quum verba quaedam apud Gildam exstent, quae neque in Mediae Latinitatis Lexicis neque alias inveni.

| Gildas. | | Gildas. | |
|---|---|---|---|
| § 4. 37. | Adinventio (Stat. claustr. | 67. | Librare: acies. |
| 92. | St. Claud.) | 76. | — jacula. |
| 1. | *Admonitiuncula.* | 18. | — murum. |
| 16. | Ambrones (Fest.) | 23. | — proras. |
| 28. | Amphibalus (Pap.) | 3. | — pondera. |
| 19. | *Baculum cibi.* | 7. | *Mancipales.* |
| 34. | *Barathrum.* | 7. | Mastigiae (Sulp.) |
| 12. | *Bilustrum.* | 35. | Offendiculum (Plin.) |
| 23. | Catasta (Tibull.) | 67. | Organa diabolica. |
| 19. | Cauma (Vulg.) | 20. | Pauxillum (Cels.) |
| 108. | Cauterium (Plin.) | 34. | Peccamen (Prud.) |
| 25. | Celeusma (Martial.) | 72. | Pedores (carcerum.) |
| 14. | *Circio* (gen. -onis.) | 22. | *Penniger.* |
| 73. | Clavicularius (Firmic.) | 34. 67. | Phantasia (= superbia.) |
| 71. | Clustellum (Bonif.) | 34. | Phlegma (Plin.) |
| 35. | Colludium (Sid.) | 35. | Piaculum (= peccat. Plaut.) |
| 67. | *Commessores.* | 42. | Placor (Vulg.) |
| 19. | *Condebitor.* | 67. | *Plasma.* |
| 92. | *Conservus.* | 3. | *Ponderatrix.* |
| 70. | *Constabilitio.* | 73. | *Protominister.* |
| 17. | Convolutus (Substant.) | 73. | Pseudapostolus. |
| 39. | *Criniculi.* | 1. | *Pusillanimitas.* |
| 11. | Cunctamen (Paul. Nol.) | 6. | Repedari (Lucil.) |
| 32. | Deciduus (Gloss. Sang.) | 34. | Ruminare (Tert.) |
| 34. | Deificus (Optat.) | 17. | *Sablo.* |
| 19. | Desperabilis (Vulg.) | 67. | *Semidormitans.* |
| 1. | *Dispendium.* | 3. | Statera. |
| 23. | Epimenia (Juv.) | 11. 18. | Stigma. |
| 71. | *Fulcimentare.* | 18. | Substantiola (Hier.) |
| 19. 34. | Furcifer (Tert.) | 28. | *Surculamen.* |
| 69. | Fuscinula (Vulg.) | 17. | Tauto (gloss. Ison.) |
| 35. | *Imperagratus.* | 32. | *Thesaurizo.* |
| 2. | Importabilis (Tert.) | 15. | *Tutamen.* |
| 67. | Inaequiparabilis (Plaut.) | 67. | *Vellera* (= nubes.) |
| 31. 33. | Ineluctabilis (Virg.) | 1. | Zelus. |
| 3. | *Intransmeabilis.* | | |

Ex Graeco igitur sumta sunt *ἀμφιβαλον, βαραθρον, ἐπιμηνια, ζηλος, θησαυριζειν, καταστα, καυμα, καυτηριον, κελευσμα, μαστιξ, ὀργανα διαβολικα, πλασμα, σχισμα, φαντασια, φλεγμα.* Alia autem verba Gildas ipse formavit. Pauca quoque quae a grammatica regula abhorrent, passim occurrunt: vile pro vili, schema, gen — ae; tonitrus, gen — i. In versus

denique saepius desinunt sententiae, e. g. »bis denis bisque quaternis«, »evincit gurgite moles«, »gemetque per annos.«

Haec quidem prolixius nos tractavimus, quia deficientibus prorsus aliis fontibus, ex Gildae scriptis tam quis et qualis ipse exstiterit, quam ecclesiae status qualis fuerit ea aetate, quodque literarum genus viguerit, cognoscendum est.

Natus est Gildas in Cambria a. 516, quo post continuas hostium irruptiones ac varias belli vicissitudines pax patriae atque libertas reddita est. Tunc igitur restitutae sunt ecclesiae, monasteria constituta, tunc etiam literae in Cambria reviviscere, nisi malis exoriri coeperunt. Vides igitur in Gildae scriptis non illud, quod explicato temporum ordine rebusque accurate dispositis atque inter se nexis dilucidae efficitur ac perfectae genus historiae, sed elementa tantum atque imperfectum res literis tradendi experimentum. Is enim quum 30 fere post recuperatam libertatem annis jam luxuriae morum simplicitatem, pacem bellis civilibus, Dei cultum cultui vitae cedere videret, Epistola primum (ante a. 547) dein Historia (a. 560) praeteritorum temporum exemplis populares ad emendandos mores revocare studuit. Haec igitur sibi scribere proposuit, »quae temporibus imperatorum Romanorum et passa sit et aliis intulerit civibus longe positis mala.« Haec vero Gildas non tam historice, quam oratorice vel tragice perscripsit. Multa igitur, quae aliena esse a consilio suo viderentur omisit. Neque omnino id egit, ut rerum temporumque causae, nexus, progressus perspicerentur, sed conspicerentur potius aetatum quasi picturae. Primo igitur pristinum insulae gentisque a Romanis subactae statum adumbravit, dein christianae religionis veluti coelestis sideris ortum, culmen, occasum depinxit. Hinc ad Maximi tempora perductus calamitates bellique descripsit vicissitudines.

Addidit denique suae aetatis picturam, qua periclitari respublica salute, sacra turbari et negligi coepta erant.

Sic ille in unam saepe, quae sensim evenerunt compressit imaginem. Unde evenit, ut quae paulatim subacta est insula, una Romanorum esse facta videretur, ut nulla, praeter Arianam, haeresis nominatim memoraretur. Multa dein in umbris et eminentia vidit, quae nos ita non facile conspexerimus. Imbelles enim vocat eos, quorum Romani laudant fortitudinem, rebelles, quia jugum Romanum abjicere conati sunt. Hinc denique factum est, ut nusquam terrarum tam subito atque inopinato res omnes mutatae esse videantur. Hujus autem scribendi generis diligenter est ratio habenda, ne Gildam aut ducem temere sequamur, aut respuamus auctorem. Illud enim aptissimum est ad fidem faciendam, quod parcus exstitit virtutum laudator, vituperator scelerum acerrimus. Nemo vero literarum studio vixdum resuscitato in conscribenda historia tironem eum fuisse admirabitur. Condonandum igitur Gildae, quod quum patria sua nulla antiquitatis monumenta suppeditaret, quae Euse-

bius de ecclesiis retulit, ad Britannicam aptavit. Antiquitatis imperitior fuit, sed peritissimus scripturae sacrae. Non enim solum, quomodo ad homines ac tempora illam accommodaret, calluit, sed etiam ex Graeco sermone accuratissime non pauca latine reddidit. Apparatum quidem, cui Eusebii et Sulpicii tantum scripta praesto fuerint, habuit minimum, Scripturae vero non solum versionibus variis sed et Commentariis quibusdam usus est. Sermonis denique est illud genus, quod inter poësin et prosam certat. Grandis fuit verbis, creber flosculis, compressione rerum modo brevis, modo verborum cumulatione impeditus. Hinc stilus durus, incultus, subobscurus. Nova quoque verba formavit, ex Graeca lingua sumsit alia.

Fuit igitur Gildas pro istis temporibus eruditus, judicio si non acri, non tamen mediocri, sacrae vero scripturae peritissimus. Fidei dein christianae sincere atque religiose addictus, vir strenuus, simplex, verax, insignis justitia vitaeque integritate. Nec dubito quin in hoc viro praeclariorum aequalium imaginem videamus verissime expressam, in libris vero illius quasi in speculo aetatem istam conspiciamus qua literarum sacrarum studio vitaeque monasticae summi sunt honores habiti.

At quomodo hoc sit factum ut per 130 fere annos bellis nunquam cessantibus, ecclesiis dirutis, haeresibus inductis, tam subito sit literarum studium incensum, doctrina pura restituta, ordo sacerdotalis institutus, perdifficile est dictu. Mirum sane foret, si haec omnia, tanta Britonum reipublicae nocte offusa, integra remansissent. Sin externorum ope sacra restituta sunt, quaeritur quando hoc et a quibus factum sit. XII quidem saeculi scriptores Germanum Autissiodorensem episcopum omnium fere institutionum ecclesiasticarum auctorem praedicant, Bedae narratione nisi, de qua modo dicamus. Gildas vero hunc plane vel ignoravit, vel omisit. Nec tollitur difficultas, quum post Germani adventum Saxonum devastationes per 80 fere annos consecutae sint. Ex commercio verum, quod Britonibus cum Gallis nunquam non fuit, similitudine dein Britannicorum et Gallicorum rituum, ex illo denique, quod episcopos peregrinandi nimis esse studiosos conqueritur, conjici potest, *Gallorum ope apud Britones VI saeculi initio res sacras esse restitutas.*

## Cap. II. BEDA.

De Bedae vita vel scriptis disserere, alienum est a nostro consilio. Ea tantum, quae in Historiae ecclesiasticae libro primo tractavit, huc pertinent, quae, quo facilius tam ordinem hujus partis, quam fontes, a quibus hauserit, perspiciamus, brevissime explicabimus.

| Cap. | Bed. Histor. Eccl. L. I. | Calculus Bedae. | | Fontes. | | |
|---|---|---|---|---|---|---|
| | | | | Orosius. | Gildas. | Plin.aliique. |
| I. | Descriptio Brit. et Hibern. | ......... | | | | |
| | | ante X. | A. U. C. | | | |
| II. | *Jul. Caesar* Consul ... | 60 | 693 | VI, 9. | | |
| | pervenit in Brit. .... | (55) | | | | |
| III. | *Claudius* imp. in Br. .. | A. I. D. | 798 | VH, 6. | | |
| | IV. imperii anno ..... | 46 | | | | |
| IV. | *Marc. Anton.* Verus .. | 156 | | —, 15. | | |
| | *Lucius rex*. ....... | ........ | | ......... | ...... | ? |
| V. | *Severus* — vallum ... | 189 | | —, 17. | | |
| | *Diocletian*. ....... | 286 | | | | |
| | Carausius et Alectus. .. | ........ | | —, 25. | | |
| VI. | *Persecutio Christ*. ... | (304) | | ......... | § 9—12. | |
| VII. | *Albanus* ceterique martyres. | | | | | |
| VIII. | *Ecclesiae prosperitas*. | ........ | | —, 28. | § 12. | |
| | Constantius, Constantinus. | | | | | |
| | *Ariana haeresis* .... | ........ | | ......... | ibid. | |
| IX. | Gratian. et Theodosius . | 377 | | —, 34. | | |
| | *Maximus* tyrannus ... | ........ | | ......... | § 13. | |
| X. | Arcad. et Honor. | 394 | | | | |
| | *Pelagiana haeresis* .. | ........ | | ......... | ...... | Prosp. Aq. |
| XI. | *Honorius*. ........ | 407 | | VII, 40. 42. | | a. 413. |
| | Gratian. et Constant. tyranni. | | | | | Prosp. Tyr. 400. 441. |
| | Roma a Gothis fracta .. A. U. C 1064; 470 annos post Caes. | 409 | | ib. | | |
| XII. | Britanniae conditio. ... | (383) | | ......... | § 14. | |
| | Legatio I — mur. cesp. . | 414 | | ......... | § 15. 16. | |
| | Legatio II — mur. lap. . | 416 | | ......... | § 17—19. | |
| XIII. | *Theodos. jun*. ..... | 423 | | | | |
| | VIII ejus imp. anno *Pallad.* ad Scot. mittitur | (431) | | | | |
| | Legat. III imp. XXIII a. | (446) | | ......... | § 20. | |
| XIV. | Fames, victoria, luxuria. | ........ | | ......... | § 21. 22. | |
| XV. | *Saxonum adventus*. .. | 449 | | ......... | § 23. 24. | |
| XVI. | Bella Aurel. Ambr. ... | ........ | | ......... | § 25. | |
| | *Obsessio Badon. montis* | 493 | | ......... | § 26, α. | |
| XVII—XXI. | *Germanus in Br. missus* | 429 (?) | | ......... | ...... | Vita Germani. |
| XXII. | Conclusio ........ | ........ | | ......... | § 26, β. | |

A Caesaris igitur adventu (c. 55 a. X) usque ad dominationis Romanae finem (409 A. I. D) Orosium maxime secutus de ecclesiae historia ex Gildae

libro § 9—13 inseruit. Inde vero reversus ad Maximi tempora (383) Gildam ad verbum fere transcripsit usque ad obsessionem Badonici montis. Iterum dein ad res, quae antea evenerunt, recedit, sed satis inepte Vitae Germani partem inserit Gildae narrationi § 26.

*Beda igitur quae ab aliis hausit, tantum abest ut in rerum temporumque ordinem redegerit, ut illa confusa potius reddiderit atque obscura.* Sed non temere tantum ac fortuito res congessit, verum etiam falsa induxit. Legationes quidem quas in Chronico Honorio et Theod. II imperatoribus (426—441) factas refert, rectius anno 423 priores fuisse hic narrat, sed imperitissime calculum obsessionis, quod nemo nescit, subduxit. Alios hic enumerare errores, qui minoris sunt momenti, longum est.

Ad Ecclesiasticam Hist. spectant Cap. IV. VI. VII. VIII. X. XIII. XVIII—XXI.

Omissis quae ex Eusebio Gildas de Britanniae conversione temere conclusit, Beda Lucii conversionem retulit.

*Lucii regis conversio* Cap. IV.

*In Chronico,* quod Beda c. a. 725 scripsit, haec prodidit:

A. 161—180. »M. Antoninus Verus cum fratre Lucio Aurelio Commodo annos 10, mensem unum et cet... Defuncto Commodo fratre Antoninum Commodum filium suum consortem regni facit et cet. Lucius Britanniae rex missa ad Eleutherum Romae Episcopum epistola ut Christianus efficiatur, impetrat....«

*Hist. Eccl. I,* 4. »A. ab Inc. Do. 156 M. Anton. Verus decimus quartus ab Augusto regnum cum Aurelio fratre suscepit. Quorum temporibus quum Eleutherius vir sanctus Pontificatui Romanae ecclesiae praeesset, misit ad eum Lucius Britanniarum rex epistolam obsecrans ut per ejus mandatum Christianus efficeretur, et mox effectum piae postulationis consecutus est. Susceptamque fidem Britanni usque in tempora Diocletiani principis inviolatam integramque quieta in pace servabant.«

*Epitome H. E. V,* 24. »A. D. Inc. 167 Eleutherius Romae praesul factus 15 annis Ecclesiam gloriosissime rexit: cui literas rex Britanniae Lucius mittens, ut Christianus efficeretur petiit et impetravit.«

Beda sibi ipse repugnat, siquidem imperatores istos modo Eusebium secutus in Chronico ab anno 161 regnasse refert, modo ab anno 156 secundum Orosium H. VIII, 17, hujus annum A.U.C. 911 non, ut debebat, anno 158 sed 156 interpretatus. Pugnat dein Chronicon cum Historia, quod in illo Lucius misisse literas fertur defuncto Commodo (i. e. 171) in Historia vivo eodem (quod esset ante 166). Calculus denique, qui in Epitome exstat, quamquam concinit cum Chronico, Historiae repugnat.

Quod ad Eleutherium attinet, *Romanorum episcoporum catalogi*

conferendi sunt, quorum antiquissimos duos Henschius edidit Acta Sanct. Apr. I (1675). *Catalogus primus* continet 18 episcopos a Petro usque ad *Urbanum* (c. a. 353). Hunc in duas Henschius partes dividit, quarum alteram usque ad Urbanum (230) alteram inde ad annum 353 perductam fuisse putat, causam interserens, secundam partem esse copiosiorem prima; quod nemo mirabitur. Non tamen est, quod Catalogum a diversis confectum existimemus. *Catalogum secundum* usque ad 530 perductum credibile est VI. saeculo fuisse scriptum. Hic multis est notis auctus. Usus est eo

*Anastasius* S. R. E. bibliothecarius, qui sub Ludovico II c. a. 860 Vitas Pontificum conscripsit, quorum ultimus est Nicolaus I.

Sic autem de Eleutherio scriptum est in *Catalogo I:* »Eleutherius annis (desunt) fuit temporibus Antonini et Commodi, a consulatu Veri et Erenniani usque Paterno et Braduo.« In Catalogo II autem haec addita nota est.

»Hic accepit epistolam a Lucio Britanniae rege ut Christianus efficeretur per ejus mandatum.«

Similiter Anastasius. Exstincti sunt anni in Cat. I, in Cat. II autem numerantur 15. Pontificis autem munere Eleutherius ab a. 170 ad 185 functus est. Ita secundum annos Coss. At diversus prorsus calculus efficitur, si annorum a Petro ad Eleutherium enumeratorum summa subducitur. Numerantur enim a constituta Romana sede ad Eleutherium anni c. 155, similiter apud Anastasium ab a. Inc. Do. c. 200, qui calculus cum annis Coss. minime concinit.

Beda si Catalogum II secutus est, calculum minus accurate subduxit. Magna igitur est temporum confusio, nec minor rei ipsius incertitudo. Deest enim in Catalogo I Lucii conversio, nec ante VI saeculum in Catalogos recepta est. Gildas eam plane ignoravit, neque omnino apud Britones narratio est orta, quum Lucius Britanniarum rex vocatus sit. Illud deinde suspicionem facit, quod Lucius Romam misisse putatur Aurelio et Commodo imperatoribus, qui tum in Asia et Gallia Christianos atrocissime persequebantur.

Hoc denique »ut per ejus mandatum Christianus efficeretur«, adeo *Romanam fictionem redolet, ut nisi apud Britonum quoque Scriptores narratio illa exstiterit, omnes eam respuerint. Praeter XII saeculi vero scriptores unus Historiae Britonum* auctor illam retulit, apud quem § 22 (XVIII) haec legimus:

»164 post adv. Chr. Lucius Britannicus rex cum omnibus regulis totius Britanniae gentis baptismum suscepit missa legatione ab imperatoribus Romanorum et a papa Romano Eucharisto.«

Eucharistus quidem nusquam occurrit, sed Euaristus qui secundum Catal. I Domitiano et Nerva ac Trajano imperatoribus pontifex fuit (c. 96 — 108). Forte Coss. Veri et Braduae nomina quae eadem tam Euaristo quam Eleu-

therio adjuncta sunt, in hunc errorem auctorem induxerunt. Sed majus est stolidissimum illud, eosdem imperatores, quos scimus inimicissimos fuisse Christianis, misisse, qui Lucium Christianum facerent.

Sic igitur Bedae narratio IX saeculo correcta quidem est, quum Lucius Britannicus rex inter regulos collocetur, ornata dein, siquidem totius Britanniae reguli accepisse fidem feruntur, confusa denique quam maxime quod ad tempora pertinet ac personas.

At fabulam a Romanis fictam Britones haud recepturos fuisse existimant. Quod ego non negarem nisi adeo Romanorum studiosus esset Historiae Brit. auctor, ut ficta Romana gentis suae origine summos sibi in populares honores conferre videretur. An his repugnat, si Romanis veteribus qui faverunt, Gregorianis monachis qui ut Saxones civitatibus, ita ecclesiis jugum imponere studerent, iidem restiterunt? At ne illud quidem ex Historia Britonum experiri licet, num auctor oderit Romanas ecclesias nec ne. Accedit, quod ille fabulas nullo discrimine ac judicio undique congessit.

Neque denique ex nummis istis, quos »literis obscurioribus nomen luc denotare videri«, Usserius refert, quum nusquam exstent, concludere quidquam licet, neque ex nomine Lever Mawr, quod XII saeculo librarius in margine codicis cujusdam addidit.

*Jam nihil, ut opinor obstat, quo minus hanc fabulam qua ad recipiendam Pontificis Romani auctoritatem inducerentur Britones, inventam esse post Augustini adventum censeamus.*

De *Persecutione Diocletiani* Cap. VI, quam ex Orosio VII, 25 Beda descripsit, de *martyribus,* c. VII, de ecclesiae denique prosperitate et *Ariana haeresi* c. VIII non est quod plura dicamus. Ignoravit enim et ipse, persecutionem in Britannia cessasse post duos annos, de Albano autem copiosiorem et elegantiorem prodidit narrationem. In c. VIII denique Gildam (§ 22) ad verbum secutus ex Orosio VII, 25 pauca addidit, sed Eutropium auctorem citavit. Neque huc pertinet, quae c. X de *Pelagiana* haeresi ex Prospero Tyrone ad Arcad. et Hon. VI, et Prospero Aquit. ad Luc. V. coss. (413 vel 414) atque ex Prosperi Carm. in Obtrect. Aug. conscripsit.

Transimus ad *Missionem Germani* c. XVII—XXI, quam Beda ex Vita Germani transcripsit, quae exstat in Actis Sanct. Jul. VII, 191 ed. Bosch. a. 1731. Hac vero Bedae recensio, quae difficiliores saepe lectiones habeat, antiquior esse videtur. Vita illa *à quo et quando* sit scripta, primo quaerendum est.

Auctorem omnes consentiunt Constantium esse Lugdunensem presbyterum, Sidonii Apollinaris familiarem. Sidonius quidem Gennadio teste Lugduni natus a. 438, episcopus Arvernensis factus est a. 472. Is plures ad Constantium epistolas scripsit, quae hodie exstant (cf. Ep. Sid. I, 1. III, 2.

VII, 18. VIII, 16.) eique epistolas, quas ad varios scripserat, collectas dedicavit. Quanti autem illum fecerit, tam Epistolae ante dictae, quam Literae ad Firminum (IX, 16) docent, in quibus Constantium »virum singularis ingenii, consilii salutaris« et cet. vocat. In Epist. III, 1 vero Constantium refert, quum Visigothi fines Arvernorum invasissent urbemque expugnassent (c. 470—73) aetate gravem, infirmitate fragilem ad Arvernenses consolandos venisse. Haec ille. Sed eum Vitam Germani vel scripsisse vel scripturum fuisse, Sidonius ne verbo quidem in Epistolis ante a. 483 scriptis indicat. Beda dein de auctore Vitae tacet. In libro vero de Vitis illustrium virorum, Isidoro adscripto, haec legimus: »Constantius episcopus Germani vitam contexuit.«

Heiricus denique Autissiodorensis episcopus qui et ipse Vitam Germani composuit eamque Carolo Calvo a. 876 dicavit, primus Constantium Lugd. his verbis auctorem laudat: »Constantius Lugduni, impense doctissimus impulsa vel precibus S. Patientis ejus tunc urbis episcopi Censurio episcopo scripsit« et cet.... Quod plane congruit cum duabus epistolis ad Patientem Lugd. episc. et Censurium Autiss. episc. scriptis et prologo, quae Vitam praecedunt.

Ex his igitur Heiricum, quae refert, sumsisse a vero non abhorret. Non tamen hoc pro certo affirmarim, quum neminem lateat, ex talibus librarios notis satis saepe fictos composuisse prologos. Sed esto, ut jam Heiricus Epistolas et prologum noverit, tamen plura sunt, quae suspicionem movent. Deest enim tam Epistola ad Censurium quam prologus in codice vetusto. Dein Epistolae ad Patientem auctor Vitam Germani »*obumbratam silentio*, ut eam vel praesentibus traderet vel posteris se scribere velle« declarat. Similia in Prologo legimus: »nec vereor persuasorem me hujusce ministerii judicandum, *tanta enim jam temporum fluxere curricula ut obscurata per silentium vix colligatur agnitio.*« Vitam autem Heiricus, quum Germano (qui obiit c. 450) Censurius successisset c. 490, hoc fere anno scriptam putavit, Boschius vero a. 485 statuere maluit; neque enim ante a. 483 Constantium scripsisse ex Sidonii silentio nec multo post ex provecta Constantii aetate conclusit. At si Constantius jam a. 470 vel 473 »grandis aetate, infirmitate fragilis« fuit, num credibile est, eundem decem annis post ne proposuisse quidem Vitam illam scribere? Recte enim Boschius Sidonium ait illud non praetermissurum fuisse silentio. An quis, si vere auctor libri fuit, eum nihil de senectute sua dixisse sed tritas istas excusationes protulisse putarit quales in quolibet ficto prologo exstant? Sed illud, quod obumbrata silentio ejus vita, quod tanta jam fluxisse curricula temporum dicuntur, fraudem mihi satis detegere videtur. Quis enim 35 annos tanta temporum curricula vocarit, quisnam viri tanti tantulo annorum spatio obliteratam esse memoriam sibi persuaserit? At his plane repugnat Sidonii

testimonium, qui eodem fere tempore (483) in Ep. VIII, 15 Anianum extollit »Lupo parem Germanoque non imparem.« *Non temere igitur concludimus, fictas esse epistolas et praefationem. Si vero ita se res habet, neque de libri auctore certi quidquam scimus, qui IX demum saeculo* celeberrimo isti Lugd. presbytero est adscriptus, num antea, nescimus.

*Vita ipsa vero antiqua est.* Quanquam enim Gregorii M. illud (Mor. VI ad Job. 36) »ecce lingua Britannica, quae nihil aliud noverat, quam barbarum frendere, jam dudum in divinis laudibus Hebraeum coepit Hallelujah resonare« — ad Saxonum potius conversionem, quam ad pugnam illam, quae Allelujatica vocatur, fuerit referendum, tamen Gregorius Turonensis de miraculis S. Juliani c. 29 locum quendam ex Vita I, VII, 58, auctore non laudato, transcripsit: *Exstitit igitur* Vita illa ante VI saeculi finem. Ex supra dictis autem elucet, ante ejusdem saeculi initium illam non fuisse scriptam. Accedunt alia quaedam indicia quae passim occurrunt. In libello enim de Mamertini conversione Vitae inserto Mamertinus vigiliis celebrandis adesse et Antiphonas quasdam audire sibi videtur. Illas sub finem V saeculi in Galliam esse inductas ex Collatione episcoporum a. 499 concluditur (cf. Mabillon Liturg.). Libellus igitur iste vix ante hoc tempus scriptus est, sed forte initio VI saeculi, post hunc autem Vita Germani. Multa in eodem inveni, quae magni fuerint momenti ad illustrandos antiquissimos Gallicanae ecclesiae ritus, quae, quum aliena sint a consilio nostro, omitto. Germani se temporibus multo recentiorem esse his quoque verbis auctor Vitae indicat »usque in hodiernum diem oratoria, cellulae et signa crucis elata fulgent, quocunque profectus est.« Haec omnia si perpenderimus, *Vitam Germani ineunte vel potius medio VI saeculo scriptam fuisse verisimillimum erit.*

Liber ipse tot tamque absurdis et anilibus fabulis refertus est, ut Germani vita non descripta sed quam maxime exornata, exaggerata, fictionibus obscurata esse appareat. Vix ullus fuerit honor, quin auctor in Germanum conferendum putarit. Is eum modo pacis auctorem, modo ducem belli exstitisse, jam in Britanniam trajecisse ad haeresin exstirpandam, jam Ravennam profectum, ut Armoricae parceret ab Aëtio impetrasse refert. Summam ejus fuisse auctoritatem, miracula innumerabilia. Quid quod eum Romae in morbum implicatum ipsa Placidia, imperatoris mater deposita purpura curasse dicitur.

Talis est ista Vita, qua sola, quae Germanus in Britannia peregerit, tradita sunt. Quae fides ei habenda sit, quis non videt? Diligenter igitur alia sunt testimonia circumspicienda.

Maximum est *illud Prosperi* ad a. 429.

»Florentio et Dionysio coss. Agricola Pelagianus Severiani Pelagiani episcopi filius ecclesias Britanniae (Basterniae ed. Bas. 1535) dogmatis sui

insinuatione corrupit. Sed actione Palladii diaconi papa Coelestinus Germanum Autissiodorensem episcopum vice sua mittit et deturbatis haereticis Britannos ad catholicam fidem dirigit.« (cf. Labbe.)

De hac vero legatione neque apud Sidonium neque in Catalogo Pontif. II nec denique in antiquissima ista Germani missa (Mone Lat.-Gr. Missae ed. 1830 p. 37) quidquam inveni. Sed in »Vetere Missali Gallicano (ed. Mab. Lit. Gall. 1685 p. 329) exstat Missa Germani; ibi in Contestatione legimus: (Germanus) »per totas Gallias Roma inectalia (in Italia) in Brettania annis 30 corpore afflictus Januis jugiter in tuo nomine praedicavit, haereses abstulit« et cet. Quae quum Vita sint recentiora, ex ea sane hausta sunt.

Huc denique pertinent, quae de Lupo, Germani comite, tradita sunt. Sidonius, cui Lupus episcopo facto a. 472 congratulatus erat, in epistola ad eum scripta (VI, 1) Lupum, ait, jam 49 annos episcopum esse post desudatas militiae Lirinensis excubias. Paulo Eucherius de laude eremi differt, qui Lupum modo apud Lirinenses commorari scripsit a. 426 — 429. Sed certum est Lupum a. 429 episcopum fuisse. Hunc vero cum Germano in Britanniam profectum, Sidonius, qui plurima in laudes ejus enumerat, ignorasse et Vitae Lupi auctor demum ex Germani Vita mutuatus esse videtur.

Deficientibus igitur aequalium testimoniis perdifficile est ex Vita ista quae vera sint, eruere. Equidem non vereor ne detrahendis istis fabulis detrahere egregii viri virtutes ac laudes videamur. *At quid deductis fabulis restat, nisi id unum, Germanum a Gallicano concilio bis in Britanniam missum fuisse?*

Quando hoc factum sit, breviter explicandum est. Prosper annum 429 statuit, eique consentire mihi Vita videtur. Germanus enim, quem hieme (ib. V, 17) insulam adiisse et post Pascham celebratam rediisse probabile est, posthac ad Hilarium Arel. (430—448) et Auxiliarem Galliae praefectum (c. 435—439) iter fecisse et reviviscente haeresi in Britanniam rediisse fertur: Beda vero eum »ante paucos Saxonum adventus annos primo advenisse« dein »nec multo interposito tempore« rediisse refert.

Qua in re Beda Gildam potius quam Prosperum mihi secutus esse videtur. Ille enim et ipse victoriam precibus impetratam paucis ante Saxonum adventum refert. Sin Prosperum secutus fuerit, nescio cur a. 429 omiserit.

Sed quocumque modo res se habeat, illud pluris est, quod pugnam cum Pictis et Saxonibus factam retulit, quod cum iis quae de Saxonibus posthac invitatis narravit, minime congruit. Itaque inconsiderate haec, quae in Vita invenit, transcripsit, oblitus plane, quae paulo ante de Saxonibus retulerat.

De *pugna* quam vocant *Allelujaticam,* quum victoriae eodem fere tempore partae Gildas quoque mentionem fecerit, non est quod dubitemus, sed de narratione ista, qualis in Vita exstat. Tam mirabilis enim victoria

non sane Gildae aetate obliterata fuisset, qua Albani memoria nondum evanuerat. Sed et Beda de ea nihil apud Britones audiisse videtur.

Superest *ut a quonam missus sit Germanus*, inquiramus, A Gallis eum esse delegatum Vitae auctor refert, a Coelestino Prosper. Illud quidem multo magis probaretur, nisi Prosper Coelestini aequalis et scriba hoc retulisset. Equidem mihi vix possum persuadere, tantam jam tum episcoporum Romanorum fuisse auctoritatem, quum ne Leoni I quidem contigerit, Gallos in suam adducere sententiam. *Prosperi igitur narrationem solitariam et singularem esse nemo infitias ibit.*

Inter Gallos quidem et Britones nunquam non necessitudinem fuisse scimus, ullam tamen vel ante Coelestinum vel post illum Romanae ecclesiae auctoritatem fuisse inter Britones, documenta desunt. *De ipsa denique Germani legatione vix hoc nobis remanet, advenisse illum c. 429 rogantibus Britonibus, ut Pelagianam haeresin exstirparet.*

*Novi igitur Beda nihil attulit, nisi Lucii conversionem et Germani legationem, quarum altera ficta est, dubia altera.* Ordine dein rerum et temporum ratione quales Beda confecit, non illustrantur ecclesiae primordia sed obscurantur.

Epice sane et oratorice Gildas res digessit, calculum nullum addidit, attamen rerum et temporum ordinem quendam tenuit. Nimis breviter et parum distincte res narravit, sed sibimet ipse constitit ac nihil fere quod verae repugnet historiae, retulit.

Contra Beda aliorum libros accurate quidem sed inconsiderate transcripsit, calculos mixit. Ei non curae erat, ut discordantia congruerent, resque a diversis haustae fontibus conferrentur et nexus quidam rerum ac temporum ordo efficeretur. *Non igitur historici munere sed compilatoris functus est.*

Sed ut minima est Bedae in perscrutanda et dijudicanda ecclesiae antiquitate auctoritas, ita Romanae inter Saxones a Gregorio pontif. constitutae ecclesiae originem et progressum diligentissime indagavit. Jam dissipantur tenebrae, historia monumentis fulcitur, calculus certus subducitur. Ea vero quae Beda passim de Britonum ecclesiae cum Romana contentione, ejusque doctrina et statu ab Augustini adventu (596) usque ad a. 731 tam fide quam memoria digna retulit, quum satis sint nota, retractare hoc loco necessarium non est. Hoc denique ex Bedae scriptis colligere licet, rerum memoriam apud ipsos Britones VIII saeculo evanescere coepisse. Si quid enim vel scriptis vel fama Bedae traditum fuisset, retulisset sane. Quanta autem IX saeculo apud eos fuerit temporum inscitia, historiae tractandae imperitia, fabularum studium, Historia Britonum nos docet, quam jam aggrediamur.

# Cap. III. HISTORIA BRITONUM.

Quando hic liber, et a quo sit scriptus, vel inter recentissimos ejus editores minime constat. Illum enim quum plerique IX saeculo adscribant, Petrie eum anno 647 esse compositum opinatus est (conf. Mon. Hist. Brit. 1848). Nennium dein libri auctorem esse Toddius (conf. Leabhar breathnach ed. Todd 1848) affirmat, Stevenson vero (Nennii hist. ed. 1838) et Petrie dubitant, attamen Nennii historiam uterque librum inscribit. Neque illud satis est indagatum, quaenam libri partes auctori ipsi quaeque librariis sint tribuendae. De his vero quum certi aliquid scire nostra magnopere intersit, res nobis denuo indaganda est.

Historiae Britonum *30 fere exstant codices*, ex quibus duo vel sub X saeculi finem vel XI$^{mi}$ initio, quinque XII$^{mo}$, XIII$^{mo}$ plurimi sunt exarati (conf. plura de his Petrie et Stevenson). Ex his majoris sunt ceteris momenti,

1. *Cod Harleianus* Nro. 3859 (Mus. Brit.) quem X saeculo vel XI$^{mi}$ initio scriptum esse, ex eo conjicitur, quod Annales, qui nulla rubrica interposita post Historiam eadem manu sunt scripti, res ultra annum 954 non perducant. Meneviae dein codicem exaratum esse, probabile est. Hunc Stevenson, adjectis lectionibus var., accuratissime transcripsit (a. 1838). Caret hic codex titulo et rubrica. Stevensonii autem nos sequamur §§ additis Galaei capitulis.

Hujus simillimi sunt *3 codd. Cottoniani* (Mus. Brit.) Vespas. B XXV et D, XXI (XII saec.) Vitell. A, XIII (XIII saec.) qui et ipsi carent titulo et rubrica ac praeterea calculis (§ 4—6 ed. Stev.).

2. *Cod. Vaticanus* (olim San German. Par.) ed. Gunn 1819. Huic, eodem fere tempore exarato insertus est titulus »Incipit istoria Brittonum edita ab anachoreta Marco ejusdem gentis s. episcopo.« Quem codicem in Gallia esse exaratum, id nobis argumento est, quod librarius scribendi modum tunc apud Gallos usitatum est secutus. Scripsit enim e. g. Hytalorum, hostium (ostium), odiernum (sed et hod.), aegit, brittanicae, cede, preter, fatie, provintia.

Simillimus est hujus *cod. Bibl. Reg. Par.* (Suppl. Lat. 156) XII saeculo exaratus, qui caret titulo et calculis (§ 4—6), habet autem eandem, quam cod. Vat., librarii notam, codicem nempe scriptum esse 647 a. post Saxonum adventum. Unde suspicari licet, aut utrumque de antiquiori quodam codice, in quo defuerit Marci nomen, esse transcriptum, aut codici Vat. titulum a recentiore librario esse praepositum.

3. *Cod. Publ. Bibl. Cantab.* F. f. i. 27. sub XII saec. finem scriptus, a Galaeo 1691 (Scriptores Vol. III) et nuperrime a Petrie editus (Mo-

numenta Historica Britannica Vol. I ed. Petrie et Sharpe 1848). Quid vero doctissimum virum, ut hunc multis additamentis auctum cod. transcriberet, induxerit, perdifficile est intellectu.

Continent autem codices isti haecce:

| 1. Cod. Harl. | 3 Cott. | 2. Vatic. | Paris. | 3. Cantabr. |
|---|---|---|---|---|
| | | | | a) *Proleg.* major. |
| | | | | b) *Prolog.* minor. |
| | | | | c) Capitula. |
| | | a) calculi (§4—6). | | d) de malis naturis etc. |
| | | b) imper. Rom. | | e) Versus Nenii. |
| a) Calculi (§4—6). | | c) civitat. 33. | | f) calculi (§4—6). |
| b) *Historia Brit.* | a) *Historia.* | d) »*Incipit Istoria.*« | a) *Historia.* | g) *Historia Brit.* |
| c) Geneal. Sax. | b) Geneal. | | | h) Geneal Sax. |
| d) Calculi. | c) Civitat. | | | g) Civitat. 28. |
| e) *Annales Cambr.* | d) Mirac. | | | h) Mirabilia. |
| f) Geneal. Hoeli. | | | | |
| g) Civitates 28. | | | | |
| h) Mirabilia Brit. | | | | |

Ex his jam colligi licet, ad Historiam ipsam, quae eam vel antecedunt, vel sequuntur, non pertinere. Haec de codicibus. Quaerendum jam est, *quis libri auctor fuerit. Antiquissimi* quidem, codd. Harleiani, tres Cotton., Paris., *auctoris nomen non exhibent,* Vaticanus vero *Marci anachoretae.* Hic autem titulus quum desit in simillimo codice Paris. neque usquam alias occurrat, valde assentior Stevensonii sententiae, qui librarium putat, quum invenisset librum titulo carentem, Heiricus vero in Germani Vita miracula quaedam, quorum simillima Hist. Brit. exhibet, a Marco Anachoreta tradita sibi esse retulisset, Marci nomen Historiae praeposuisse. *Marcus igitur Historiae auctor non fuit. Nennio* deinde *Elbodugi discipulo* in codicis Cantab. supra dicti prologis aliisque 2 recentioribus codicibus liber adscribitur. Alii Nennii una cum Gildae nomen exhibent. Prologos autem fictos esse, jam nemo negat. Rejicienda igitur est et haec, quae tam levibus muniatur argumentis, sententia.

*Gildae* denique nomen ex 30 codicibus 17 exhibent, quem libri auctorem fuisse quorumdam XII saeculi scriptorum opinio fuit, a quibus Historiae Brit. saepius est mentio facta.

*Guilielmus Malmesbiriensis* primus laudandus est, qui in libro de Gestis Regum c. a. 1125 scripto (ed. Gale, et Stevenson 1840) ubi de Guortigerni incestu loquitur, »Gesta Britonum« adducit.

*Henricus Huntindonensis* autem, qui Historiam Regum (ed. Savile Francof. 1601 p. 300) ante a. 1147 confecit, haec dicit: »Nunc a quibus

et quo tempore primum inhabitata fuerit (Britannia), dicendum est, quod in Beda non inventum in *aliis authoribus* reperi« (conf. Hist. Br. cap. III. § 10 et cet.). Paucis dein a Beda sumtis, sic pergit: »Si quis autem scire voluerit, quo tempore primum habitata Hibernia fuerit, de hoc nihil apud venerabilem Bedam sed apud *quendam authorem* reperi« (H. B. § 13 et cet.). Tum Guortigerni incestum referens addit, »dicitur a quibusdam« (H. B. § 31 et cet. c. XXVIII). Arthuri denique res gestas enarrans »haec« ait »bella et loca bellorum narrat *Gildas historiographus*.«

*Henricus igitur haec in libro ab Historia diverso invenisse videtur.* Usus est autem codice Vaticano simillimo.

*Galfridus Monemutensis* denique Germani miracula ex Hist. Brit. (§ 31. XXIX) retulit »quae« ait »*Gildas* in tractatu suo luculento sermone tractavit.«

*Quum igitur inter XII saeculi scriptores de Historiae autore minime constiterit, vetustissimi vero codd. auctoris nomen non exhibeant, hunc prorsus ignotum esse, manifestum est.*

Quum deinde non solum aetas, qua scripta fuerit Historia, ex ipsa cognoscenda sit, sed et multa occurrant, quae, quando fuerint addita, scire summi sit momenti, *quando et Historia sit composita et varia a variis librariis adjecta*, quaeritur. De quo quum inter recentiores minime constet, *calculi* denuo sunt indagandi. Quorum tanta est diversitas et confusio, ut de restituenda certa temporum ratione plerique desperaverint. At haec ipsa diversitas et discrepantia indicia nobis suppeditat, ex quibus, *quomodo liber qualis nunc exstat, paulatim evaserit,* cognoscamus. *Sunt autem aliae auctoris ipsius, librariorum computationes aliae.* Harum duplex est genus; annorum alterum, quibus librarii scripserunt, alterum calculorum, qui ad ipsam pertinent historiam. Et primo de *Librariorum annis* disseremus. Recentissimi hujus generis calculi in cod. Vaticano inveniuntur.

§ 4 (I Gale) »a Pass. Christi peracti sunt anni 946, ab Incarn. autem ejus sunt a. 976 et quintus annus Eadmundi regis Anglorum.« Ita calculus ann. 831 ab Inc. Do. qui in cod. Harl. exstat, mutatus est.

§ 31 (XXVIII) »Regnante Gratiano II Equantio Saxones a Guorthigirno suscepti a. 347 post Pass. Dom.« his quae in reliquis quoque codd. leguntur, addidit librarius »a tempore, quo advenerunt primo ad Brytanniam Saxones usque ad primum imperii annum eadmundi 642, ad hunc in quo nos scribimus annos traditione seniorum 647 didicimus, quippe iste imperii quintus antedicti regis est annus.«

§ 66 (Gunn sub finem) Saxones a Guorthigirno a Pass. Dom. 347 suscepti sunt, ad hunc quem nunc scribimus a. 647 numeramus. Ita ille, qui jussu collegii, quod Recordcommission vocant Vaticanum cod. denuo

transcripsit. Aliter Gunn et praeter Petrie reliqui editores omnes, qui pro numeris 347, 642, 647 exhibent 447, 542, 547. Sed illa lectio sola probanda est, quum non solum in codice, Vatic. et simillimo hujus Parisiensi inveniatur, sed et in Harleiano annus 347 non numeris sed literis clare sit scriptus, quod miror, cur Stevenson omiserit. Idem omnino est calculus § 31 et § 66. Subduxit enim librarius a Passione Chr. usque ad Saxonum adventum annos 347, inde ad annum, quo scripsit, 647. Scripsit igitur anno 994 a Passione Domini (quod brevitatis studio notamus A.P.D) seu $10^{24}/_{27}$ ab Incarnatione Domini (A.I.D).

At hoc plane repugnat calculo § 4, ubi anni 946 A.P.D et 976 A.I.D computantur. Ne tum quidem congruerent, si in Vaticano cod. annos A.P.D et A.I.D confusos esse concederemus. Unde colligi licet, istum calculum § 4 ab alio quodam antiquiore librario fuisse subductum. Neque V Eadmundi annum quisquam putaverit a Vaticani codicis auctore esse additum, qui plus 50 annis post Eadmundum mortuum scripsit. Nescio an quis quinto Eadmundi regis anno (a. 945) Historiam transcripserit, et annum regis § 4 et 31 addiderit. Is quidem necessario a. 831 (§ 4) in annum 946 commutavit. Sed utrum idem, annos A.I.D et A.P.D confundens anno 946 perperam adjecerit »A.P.D«, ideoque recentior quidam annum 946 A.P.D interpretatus sit calculo 976 A.I.D, an alius librarius anno 976 A.I.D codicem exararit, perdifficile est dictu. Vaticani denique cod. auctor stolidissime V Eadmundi annum retinuit et suum annum addidit, nec vidit se hoc modo 347 + 647 A.P.D i. e. annum fere 1020 A.I.D Eadmundo adscribere, qui 946 A.I.D decessit.

Mirum *quid Petrio in mentem venerit*, qui in his calculis antiquissimi sibi auctoris vestigia detegisse videtur. Annos enim istos 647 non a Saxonum adventu, sed a Passione Chr. numerat, oblitus sane calculos istos nonnisi in uno codice a librario confectos exstare. Librariorum potius annos calculi indicant, quorum recentissimus c. 1024, vel (si confuderit A.I.D et A.P.D) 994 A.I.D, alius forte a. 976, alius a. 946 codices exararunt. Antiquior his *est librarius* qui tricesimo Anarauth Cambriae regis anno (c. 879—915) $90^{7}/_{8}$ scripsit. Qui dein calculum addidit § 16, ad suum tempus computavit, annos 858 A.I.D. Antiquissima denique hujus generis nota exstat § 4 (Cod. Harl.) ubi 796 A.P.D et 831 A.I.D subducuntur.

*Quinque igitur vel sex, qui librariorum aetates indicant, calculi exstant.*

1. A.I.D 831 § 4 (I) Cod. Harlei.
2. » 858 § 16 (XI) ibid. — deest in Vatic.
3. » 907 § 4.
4. » 946 § 4. 33 (I. XXXII) = V. Eadm. Cod. Vat.
5. » (976?) § 4. Cod. Vat.
6. » (994?) 1024 § 33. 66. Cod. Vatic.

Adeamus jam eas, quae ad *ipsam Historiam* pertinent temporum rationes.

1. Ex his ***recentissima est,*** quam XII saeculo Prologi auctor ex § 16, ubi a Saxonum adventu ad IV. annum Meruini 429 anni numerantur, et ex calculo librarii (ibid.) qui a. 858 scripsit, confecit Is igitur Nennii personam suscipiens se a. 858 A.I.D XXIV$^{mo}$ Meruini regis Britonum scripsisse mentitur. Merminus enim secundum Annales Cambriae decessit 844 A.I.D, Merwynus autem Rodrici filius a. 903 (Ann. Cambr. continuat.). Annus igitur 858 neutri convenit.

2. *Calculus* dein qui jam *X saeculo* in Codice Harl. post Saxonum Genealogias exstat (§ 66) sed deest in Vaticano, a librario additus est, qui sumsit eum ex Victorii Aquitani Fastis. Ibi a Mundi principio ad Guorthigirnum 6059 anni, ab Inc. Christi ad Saxonum adventum 400 anni numerantur, quod a reliquis calculis longe abhorret.

3. *Calculus,* qui § 55 LXI in Patricii Actis occurrit ab Hiberniensibus sumtus reliquis repugnat. Subducuntur enim a Mundi principio ad Baptismum Hiberniensium anni 5330. Annus 5330 autem quintus Loigari esse dicitur.

4. *Calculus* dein, quem librarius § 16 a. 858 addidit exstat in codice Harl., deest in Vaticano. Sic autem scriptum est: »Ab Inc. Do. usque ad Patricium 23 decemnovennales cycli vel anni 437. A Patricio ad hunc in quo sumus 22 cycli et duo anni in ogdoade. i. e. 420.« Efficiuntur igitur anni 857 vel 858; qui calculus priori calculo, qui Patricio annum 405 A.I.D tribuit, plane repugnat.

*Computationes* denique *istae,* quae Historiae sunt praemissae (§ 4—7) a librario quodam praepositae esse videntur. Non solum enim desunt in vetustis codd. Vesp. B et D Vitell. XIII, Cod. Paris., sed et in ipso Vaticano codice post illas, enumeratis imperatoribus Romanis, literis majoribus exstat titulus »Incipit Istoria« et cet. conf. supra. Similiter alii codd. Variant praeterea calculi in codd. Harleiano-Vaticano; quamquam enim ab anno Mundi ad Pass. Chr. anni 5228 esse dicuntur, tamen, si ad calculos numeros vocaris, in Harl. 5459, in Vat. 5132 annorum summa subducitur. — Sumtae sunt hae temporum rationes ex Hieronymi Chronico; praemissae tamen Historiae jam anno 831. cf. supra.

*Calculos istos omnes a librariis adjectos fuisse manifestum est.* Alius quidam ejusdem generis exstat § 31 (XXVIII) quo *annus adventus Saxonum* his verbis notatur:

»Regnante *Gratiano II* Equantio Saxones a Guorthigirno suscepti sunt anno 347 post Passionem Christi.«

Sic in codd. Harl.-Vatic. Similiter in cod. Cantab. C. C. 183: »Quando Gratianus fuit consul secundo et Aequitius quarto tunc his coss. Saxones a Wyrtgeorno in Britannia suscepti sunt a. 349 A.P.D.

Aliter codd. Vesp. D Nero D aliique »regnante *Martiano* secundo, quando Saxones et cet.«

In annorum vero computatione maxima est differentia

*a*) A.P.D 337 Cod. Vesp. D, XII, Nero D, XXV.
*b*) » 347 *Harl. Vatic.*
*c*) » 349 Cantab.
*d*) » 400 apud Galaeum.
*e*) » 447 Cod. Cantab. supra descriptus (L apud Stev.).
*f*) » 448 Cod. E ap. Stev.

In antiquissimis igitur codicibus a. 347 A.P.D Gratiano secundo Equantio coss., in recentioribus 447 Martiano imperatore Saxones advenisse feruntur. Horum duplex est error. Non tantum summae temporum inscitiae est, annum 447 *A.P.D* (quod omnes habent) adventui Saxonum tribuere, sed ne correcto quidem errore annus 447 A.I.D Martiani aetati, quem regnasse constat ab 450 vel 453, convenit. *Non dubito quin haec ita secundum Bedam fuerint mutata, nota tamen »A.P.D«, qua erant negligentia non correcta.*

Gratianus vero III et Aequitius coss. fuerunt Ammiano Marcellino auctore, quando Valentinianus mortuus est a. 375 vel 379.

*Haec igitur scriptoris fuit sententia, Saxones advenisse* 347 *A.P.D i. e. c.* 377—80 *A.I.D.* Quod cum Ammiano non male convenit, qui ad a. 364 A.I.D Pictorum Saxonumque invasiones refert.

Venimus ad *aliud calculorum genus*, qui non a Passione vel Incarnatione Christi sed ab alio quodam eventu inchoantur. Hujus generis est *computatio* § 27 (XXV). Ibi enumeratis 9 Romanorum imperatoribus additur: »hucusque regnaverunt Romani apud Britones 409 annos.« Quum autem ibidem Caesar advenisse a. 47 ante Christum putetur, cessasse imperium Romanum in Britannia a. 362 sequitur. Saxones autem secundum hanc computationem 15—18 annis post advenerunt. Non tamen verisimile est, ab eodem hos calculos subductos esse. § 30, XXVII enim 34—40 anni tempori tribuuntur quo legationibus a Britonibus missis Romani auxilio venerunt. Ibi Romani venisse et rediisse dicuntur per 443 annos (Cod. Vat.) vel 448 vel 449 (quod plures habent codd.). Lectio Harl. cod. 348 erratum est. Saxonum ergo adventus, si ab a. 47 ante Christum calculum subduxerimus, inciderit in a. 396—402; quod fere congruit cum *calculo* § 16, XI, qui unus ex antiquissimis est. Ibi ab adventu Saxonum usque ad quartum Mermini annum anni 429 numerantur; a Nativit. Do. ad Patricium 405, a morte Patr. ad obitum St. Brigidae 60, a Nativ. Col. ad Brig. mort. 4. Haec praeter primam notae ab annalibus Hiberniensibus haustae sunt diversis partim ab iis, qui hodie exstant, in quibus mors Patricii ad a. 496 refertur, Brigidae ad 523. At IV Mermini anno tempus, quo scripsit, auctor indicat. Annalibus Cambriae testibus Mermin mortuus est 844; regnare

coepit secundum Annales Guentiae 818 vel 819. *Scripsit igitur auctor Historiam a. c.* 822, *Saxones autem advenisse a. fere* 393 *putavit. Quod igitur ad Saxonum adventum attinet, duplex omnino sententia exstat, altera eorum, qui, sicut auctor Historiae Br., eos sub finem IV saeculi vel ut librarius quidam c.* 370 *advenisse putant, illorum altera, qui hoc medio fere V saeculo factum existimant, ut Gildas et Beda* (447—49) *atque Annales Cambr.* (*c.* 444).

Calculi igitur plurimi a librariis additi sunt, *ii tantum quos modo tractavimus* § 16. 27. XI. XXV *auctori Historiae attribuendi esse videntur, an computatio quoque* § 31, *valde dubitandum est. Pariter in Historia, quicunque librum diligentius indagaverit, dubitare nequit, quin multa a librariis sint inserta.*

*Prologos* quidem, *Capitula*, *Genealogias Saxonum*, *Britanniae Mirabilia*, *Nennii versus*, *civitatium nomina* a librariis addita esse ad unum fere omnes consentiunt. Sed et *Patricii Acta* (§ 50—55 c. LV—LXI) *non dubito a recentiore Historiae esse adjuncta. Exstant enim in Cod. Vat. post libri finem (cf. supra) in Harleiano autem jam suo loco inserta sunt, at certum hoc tantum est, X saeculo illa in aliis codicibus post finem Historiae annexa fuisse, inserta in aliis.*

Neque *Arthuri res gestae* (§ 56, LXII—LXVI) num Historiae pars fuerint, scimus. Gale enim in cod. Vit. E ante hanc narrationem haec legit »Hic expliciunt Gesta Britonum a Gilda sapiente composita.« Henricus Huntind. autem ex libro, ab Historia diverso, Arthuri bella referre videtur (cf. supra). Sed incertiora haec sunt quam ut quidquam inde collegerimus.

*Libri igitur initium in Britanniae descriptione, in Guorthigirni vel Arthuri historia finis statuendus erit* (§ 7—49. [50] c. II—LIII. [LXII—LXVI]). Attamen hic quoque multa mihi a librariis addita esse videntur. Hoc verum quamquam ad cognoscendam aetatis illius indolem non nihil inservierit, tamen prolixius tractandi locus hic non est. Itaque quae auctori ipsi quae librariis sint attribuenda, ex quibus fontibus quoque hausta, indicare potius, quam explicare studebimus.

| | | |
|---|---|---|
| § 7—9 (II). | *1. Descriptio Britanniae* . . . . . | *Fontes:* Gildas Beda (4 nationes, quia Brit. = Rom.) Britonum fama. |
| § 10—18. (III—XII). | *2. Gentis origo* . . . . . . . . . . . | Hieron. Chron. et quae apud Francos et Britones perhibebantur. |
| 10. 11, b. | *a*) Brit. adventus III aetate c. 1100 | secundum Ann. Rom. i. e. Hier. |
| 12. | *b*) Pictorum adv. c. 300 ante Chr. | § 17. Gallorum narratio (?) |
| 15. | *c*) Scotorum or. et adv. IV aetate c. 500 ante Chr. | § 10 a. librarii emendatio. § 13. 14. Scotorum origo aliter. |
| 17. | *d*) Brit. origo aliter . . . . . . . . | § 18. alia Briton. origo. |
| 16. | *Calculus* . . . . . . . . . . . . . | Calculus § 16, imperite insertus. |

| | | |
|---|---|---|
| § 19—30. (XIII—XXVII). | *3. Historia a Caesare ad Guorth.* | Beda, Orosius, Hier. Chron. |
| 19—22. | 1. *Caesar* adv. c. 50 a. Ch., vicit 47 | conf. Beda, Chron. Hier. |
| 23. | 2. *Claudius* . . . . . . . . . . . . | Claud. cum Druso patre confusus |
| | *Lucius rex* a. 167 post Chr. . | inde desunt calculi. |
| 24—27. | 3. Severus. 4. Caritius. 5. Constantius Const. M. filius. 6. Maximus. 7. Maximianus. 8. Severus. 9. Constantius. § 29. librarii additam. | Summa confusio. Severus bis, Maximus ob nomen sane scriptum bis; Const. Chlorus cum imperat. Rom. et cum Constantino tyranno confusus. |
| 28. | *Calculus* imperii Rom. 409 ann. | aliter Beda. |
| 30. | *Legationes* . . . . . . . . . . . | confer Beda. |
| § 31—49. (XXVIII—LIII). | *4. Guorthigerni historia.* | |
| 31. | Saxonum adventus. | |
| 32—35. 36—49. | Germani miracula et cum Guorth. contentio. | fama haec apud Britones perhibebantur. |
| § 56. (LXII et cet.) | *5. Arthuri res gestae.* | |

Quae de origine Britonum Scotorumque traduntur, plane confusa sunt. Ex Hieronymi notis et Gallorum narrationibus Genealogiae istae confectae et in Britanniam allatae esse videntur. Vana enim Trojanae originis gloriatio jam VI saeculo Hunibaldo Franco teste invaluerat, quum a Francis Galli paulatim subigerentur. Origo autem ad Britonem relata differt quam maxime a Descriptione Brit. (§ 7) ubi Britanniae nomen a Bruto consule derivatur (Confer Notam Cod. Vat. ante § 12). *Itaque ne illud quidem certum est, num Descriptio et Origo ab eodem sit confecta.* Sufficiant haec.

Ad *ecclesiasticam Historiam* spectat 1. *Lucii conversio* (§ 23. XIX) quae quam imperite et negligenter sit narrata, jam supra docuimus. Ejusdem omnino generis sunt, quae de *Germano* traduntur (§ 32—36. 39. 47—50. XXIX et cet. XLIX et cet.). Causam hujus adventus neque respexisse neque omnino nosse auctor videtur, qui »In tempore, ait, illius (Guorth.) venit Germanus ad praedicandum in Britannia.« Hic autem tribus primo miraculis, resuscitato ex ossibus vitulo, morte servo praedicta, combusta tyranni arce, quasi ipse se inducit (§ 32—35. XXIX et cet.). Subulcus dein, qui benigne eum accepit, cum 9 filiis omnibusque ejus regionis hominibus a Germano baptizatus primus Povisiorum rex exstitit. Apud Povisos igitur orta haec fabula esse videtur, cui simillimam non tamen eandem Heiricus a Marco Anachoreta audierat. Sequitur praeclarissimi episcopi cum nequissimo rege contentio (§ 36. XXXV et cet.). Guorthigerno enim tunc omnis Britanniae miseria assignari solebat. Germanus igitur convocata synodo ob incestum damnat Guorthigernum et in Cambriam confugientem sequitur.

Ille a magis suis concilium, auxilium a Saxonibus petit, hic orando

per 40 dies ac noctes et jejunando per 3 dies noctesque convertere illum studet. Quarta denique die arx Guorthigerni igne de coelo misso cum ipso combusta est. Longe aliter Gildas et Beda de Guorthigerno narraverunt. Sed inter istius manus scriptoris omnia in fabulas sunt versa. Huc et illud pertinere mihi videtur, quod Guorthigerni ex filia filius Faustus »locum magnum super ripam fluminis quod vocatur Renis« condidisse fertur, quod dubito an ex Fausti Britonis Vita, qui Renis in Gallia monasterium fundasse dicitur, fuerit sumtum.

Sic igitur Britones a Gallis non pauca sunt mutuati, ab Hiberniensibus autem quum alia multa tum illud de *Patricio* (§ 50—55) de quo supra jam diximus et plura dicendi infra locus erit.

Quid igitur Historia Britonum habet, quod nobis vel novum sit, vel usui alicui esse possit? Nihil profecto nisi hoc, ut aetatis istius indolem perspiciamus, quod haud parvi est ducendum. Omnis fere tunc temporis rerum memoria evanuerat. Vera fabulis miscebantur, obscurabantur res gloriatione vana, atque ira vel studio prorsus pervertebantur. Id potius in componenda historia agebatur, ut delectarentur illa populares, quam ut edocerentur. Tanta est in Historia Britonum temporum inscitia, narrandique levitas, ut alia ejusdem generis scripta, si qua fuerint, perdita esse, non est quod doleamus.

Hucusque de rerum Britannicarum scriptoribus sermo fuit. Transeamus jam ad reliqua quae exstant Historiae monumenta.

## Cap. IV. ANNALES CAMBRIAE.

Omitto Annales recentiores ut Chronicon Principum seu Brut y Tywysogion, quod Caradoco perperam adscribitur nec nisi Galfridi Historiae continuatio est (cf. Petrie Monum. Hist. Brit. Praefat.). Neque alii Annales Menevenses nempe aliique (Wharton Anglia sacra II, 648) quorum auctores Cambrensibus ut fundamento usi multa addiderunt hoc loco tractandi sunt. Huc soli pertinent, qui antiquissimi sunt, *Annales Cambriae*. Hos accuratissime transcripsit Petrie (Mon. p. 830). Exstant ante Historiam Brit. in Codice Harlei. 3859 de quo supra diximus. Alii codices multo recentiores multa additamenta et continuationes Annalium exhibent, quae nihil ad nos attinent. Continent autem Annales historiam Cambriae ab anno fere 444—954. Temporum ratio est simplicissima. Repetitum est enim verbum anni ac decimus quisque annus numeris romanis (X, XX, XXX et cet.) notatus, ac si quid memoria dignum fuerit, annis adscriptum est. Hanc ob calculi simplicitatem Annales istos ante annum 831, quo (cf. supra) Aera Dionys. ad Historiam coepta est adhiberi, inchoatos fuisse probabile est.

Nec silentio praeterierim, quod Menevia ad a. 601 scribitur Moni (judeorum), ab anno 810 Miniu.

Incipiunt autem Annales sine titulo voce anni. At cuinam nostrae aerae hic primus annus conveniat quaeritur. Quem recte sane Petrie annum 444 A.I.D esse, quo Saxones advenisse tum forte putaverint, suspicatus est, licet modo annus 440, modo 447 vel 449 aptior ad incipiendum calculum videatur.

*Fontes* a quibus haustum fuerit hi fere sunt. 1. Chronicon Hiberniense, quo et Tigernach usus esse videtur. Ex hoc pleraque ab a. 444—595 sumta. 2. Bedae hist., vel Chron. Sax. inde ab Augustini temporibus. 3. Historia Britonum, passim. 4. Quae fama apud Britones ferebantur. Prima quae ad res Britonum spectat nota, ad a. 516 occurrit, de ecclesiasticis vero rebus ante a. 570 nihil traditum est. Pauca sane sunt, sed maxima, quae in Annalibus inveniuntur. Ex his quae majoris sunt momenti hoc loco addenda existimavimus.

| Aera Dionys. | Anni Annal. | Ex Annalibus Cambr. excerpta. |
|---|---|---|
| 444 | »annus« | |
| 454 | X | Brigida s. nascitur. |
| 457 | XIII | Patric. s. ad Dom. migratur — (Sequuntur alia ex Hib. Ann.). |
| 516 | LXXII | »*Bellum Badonis*, in quo Arthurus portavit crucem Domini 3 dies et 3 noctes in humeros suos et Britones vicerunt.« cf. H. B. |
| 547 | CIII | »Mortalitas magna in qua pausat Mailcun rex Genedotiae.« conf. Tigern. |
| 570 | CXXIV | *Gildas obiit.* |
| 584 | CXL | .... Dispositio *Danielis Bancorum* conf. Tig. ad 581. |
| 589 | CXLV | Conversio Constantini ad dom. Tig. ad 588. |
| 595 | CLI | Columcille moritur (Tig. 596) Dunaut rex moritur, *Agustinus* Mellitus Anglos ad Christum convertit. |
| 601 | CLVIII | *Sinodus urbis Legion.* Gregor. obiit. *David episcopus Moni judeorum* ob. |
| 606 | CLXII | Dispositio Cinauc ep. (conf. Girald It. II, 1). |
| 612 | CLXVIII | *Centhigerni* obitus et *Dibric* ep. |
| 645 | CCI | Percussio Demetiae regionis, quando *coenobium David* incensum est. |
| 714 | CCLXX | Consecratio Michaelis Archangeli ecclesiae. |
| 768 | CCCXXIV | *Pasca commutatur apud Britones* emendante Elbodugo homine dei. |
| 795 | CCCLI | Primus adventus gentilium. |
| 809 | CCCLXV | *Elbodg archiepiscop.* Guenedotiae regionis migravit ad Do. |
| 810 | CCCLXVI | Combustio Miniu. |
| 822 | CCCLXXVIII | Saxones regnum Poyuis in sua potestate traxerunt. |
| 840 | CCCXCVI | Nobis episc. in Miniu regnavit. |

| Aera Dionys. | Anni Annal. | Ex Annalibus Cambr. excerpta. |
|---|---|---|
| 844 | CCCC | Mermin. moritur. |
| 873 | CCCCXXIX | Nobis moritur. |
| 908 | CCCCLXIV | *Asser* mor. |
| 944 | D | Lumberth ep. in Miniu mor. |
| 946 | DII | Eneuris ep. in Miniu mor. |
| 954 | DX | Rotri mor. (Desinunt hic Ann. Cambr.) |

Praeter haec in Annalibus bella plurima, tam a regulis inter sese quam cum Saxonibus gesta, Danorum deinde invasiones, portenta quoque et alia referuntur.

Venimus ad

## Cap. V.

## ECCLESIARUM ET MONASTERIORUM MONUMENTA.

Verolamii et in Urbe Legionum quosdam christianae fidei addictos mortem obiisse, Gildas refert. Itaque

1. *Verolamium* primo memorandum est. Ibi Beda teste (H. E. I, 7) in Albani honorem ecclesia »mirandi operis atque ejus martyrio condigna« posthac exstructa est. Ab Offa rege et alia illi aedificia addita et monasterium ibi conditum esse c. 793, ad expiandam Aethelbrythi regis caedem Matthaeus Parisiensis refert. At neque in Chronico Saxonum neque in aliis libris quidquam de hac re invenimus. Charta vero, quae Offae nomine inscribitur, fictitia est. Nulla omnino XII saeculo priora monumenta exstant.

| | |
|---|---|
| 2. *Eboracum*<br>3. *Londinium*<br>4. *Colonia Londinensium* (Colcestria. Usser.) | hae urbes, teste Catalogo episcoporum, qui Concilio Arelatensi interfuisse feruntur, sedes episcopales fuerunt a. 314. (Plura infra.) |

5. *Duroverni* ante Augustini adventum ecclesiam S. Martini exstitisse apud Bedam (H.E. I, 26) legimus.

6. *Dubrensis* ecclesiae, num quis ante Lelandum fecerit mentionem, nescio. Conditam vero illam Romanorum temporibus fuisse, ruinae, Romanam architecturam exhibentes, quae in summo monte adhuc exstant, praeclare docent.

Harum omnium historiam ecclesiarum quum a Saxonibus essent dirutae oblivione fere esse obrutam, nemo mirabitur, neque illud, varia de iis XII saeculo esse ficta.

His vel antiquior habetur

7. *Ecclesia Glastoniensis.* De qua quidquid vel ex monachorum narrationibus vel ex scriptis XII saeculo congeri licebat, Guilielmus Malmesbiriensis in libro de *Antiquitate Glastoniensis* ecclesiae memoriae tradidit. Is quanquam doctrina et antiquitatis studio reliquos sui aevi scriptores longe praecessit, caute tamen eo auctore utendum est, qui quaslibet fabulas sit aucupatus et omnes undique flosculos carpserit. Librum autem illum vereor ne nullus eorum, qui ad nos pervenerunt, codicum, integrum exhibeat. In codice enim Bibl. Trinit. Col. Cantab. quem Galaeus negligentius a. 1691 edidit, dein Hearne 1720 denuo transcripsit, multa esse, quae Guilielmo nullo modo adscribi possent, jam Hearne vidit. Alius quoque cod. membr. Vespas. D, XXI, 8° pulcherrime quidem sed negligenter scriptus, neque adhuc editus, multa continet, quae post Guilielmi tempora sunt addita. Ordo quoque alius est, atque in supra dicto codice. Guilielmi librum alii, Adamus maxime Domerhamensis (XIIII saec.) et Johannes Glaston. (XV saec.) paulatim auxerunt.

In componenda autem historia Guilielmus Glastoniensium vanitati nimis assensus est. Glastoniam enim duodecim Philippi discipulos venisse ibique ecclesiam S. Mariae condidisse narrat, quam ab Anglis Ealde kirche vocatam ac diu frequentissimam fuisse refert. Et vix ullus tunc temporis magnis in honoribus habebatur, quin Glastoniae fuisse diceretur. Gildam enim, Patricium, Indractum, Brigidam, Benignum, ibi vel commoratos vel sepultos esse, Danielem Archiepiscopum cum 7 episcopis dedicatum ecclesiam eo venisse ferebant. At quamquam haec et alia ejusmodi Glastonienses elatis naribus jactabant, tamen usque ad VIII saec. ecclesiae historia in tenebris jacet. Jam enim illud, quod Patricium et Benignum Scotos Glastonienses monachi suos vindicant, satis argumentum est, quam ignari antiquitatis suae fuerint. Nec de ullo Britannico abbate Guilielmus quidquam invenit. Sin Worgret, Lademund, Bregoret, quorum nomina in tabula quadam ecclesiae majoris ab Ine condita legit, Britannicos abbates vocat, quid de tali conjectura sit judicandum nemo non videt. Charta autem Patricii Glastoniensium (XI saeculi) ignorantiae et astutiae specimen est. Ficticia quoque est illa Dononiae regis, cujus nomen ignoratur, chartula, quam anno Incarn. 601 scriptam esse, fingitur. Hanc enim temporum rationem initio VII saeculi Britonibus ignotam fuisse, neminem latet, et IX demum saeculo paulatim in usum venisse, supra demonstravimus (conf. Hist. Brit.). Sed et alia sunt quae suspicionem movent, ut vero hic explicentur, opus non est. Quid quod quaecunque Inae regis charta (a. 723) vetustiores esse feruntur, ficticias eas esse vir Saxonum antiquitatis peritissimus Kemble praeclare ostendit (conf. Codex diplomat.). Ina autem Asserio teste monasterium ibi condidit, eique Hemgiselium praefecit (a. 726). Quum vero ante illum quinque Abbates Saxonici ab anno 668 usque ad 726 a Guilielmo enumerentur,

aliud ibi ante Inam monasterium conditum fuisse videtur. Sed et hoc valde dubium est.

*Rejectis vero medii aevi fabulis de antiquitate ecclesiae nihil omnino scimus, nisi hoc, Saxones ibi vetustam ecclesiam invenisse, eamque Ealde kirche vocasse.* Illam vero regionem, in qua Glastonia est sita, Saxones medio VI saeculo sibi subjecisse videntur. Et ibi per plus quam centum annos religio Christiana oppressa fuit, usque ad Inae (a. 688) regis tempora. Itaque et hujus ecclesiae monumenta perdita esse mirandum non est.

Adeamus jam *Cambriae ecclesias.* Antiquissima fuit

8. *Urbs Legionum* ad Uscam flumen. Ibi initio IV saeculi Aaron et Julius mortem obierunt. Inde vero usque ad XII saeculum certi nihil invenitur. Giraldus (It. I, 5) tres enumerat ecclesias, primam »Julii martyris virgineo Deo dicatarum regularium choro venustatam« Aaronis alteram, tertiam »metropolitanam totius Cambriae« quam eandem ac secundam esse Galfridi opinio est. Prope hanc urbem

9. *Landava* est, sedes episcopalis, quam a Dubricio esse constitutam omnes consentiunt. Antiquiora Annalibus Cambr. monumenta non exstant, in quibus Dibric obitus ad a. 612 notatus est. Unde concludi licet, ecclesiam istam vel sedem episc. constitutam fuisse sub medium VI saeculi. Plura de hac ecclesia *Liber Landavensis* tradit, quem Societas Cambrensis 1840 edendum curavit. Hunc anno fere 1132 scriptum esse ex eo conjicitur, quod ad a. 1132 perducta historia, Urbani vero mors a. 1133 non sit relata. Non tamen finita ibi historia esse, sed folia sequentia deesse videntur, sed hoc ad nostra nihil pertinet. Videamus potius, num antiquiores in eo fontes lateant. Urbanus quidem in synodo Rhemensi 1119 »Chirographum Teliaui« adduxit, qui Dubricii habetur successor. Hic liber si vere exstitit, neque historiae Landavensis quidquam nisi initia continuit, neque, qualis fuerit, hodie exquiri potest. Quaecunque enim in libro isto tradita sunt, adeo inter se similia sunt sermone et fictione ut omnia eodem fere tempore scripta esse facile appareat. Tot vero nugas et fabulas, tam repugnantia ac plane absurda liber exhibet, ut non solum irritum sit, vera a falsis, antiqua a recentioribus additamentis secernere, sed nec ulli usui fuerit. Sufficiant quaedam ignorantiae ac credulitatis specimina.

Dubricius a Germano Archiepiscopus factus et apostolicae sedis fuisse legatus dicitur. Nihilominus a. 612 obiisse fertur. Hujus autem Teliauus successor, Teliaui Oudoceus perhibetur, a quo sub VI saeculi finem 3 Landavensia concilia habita fuisse vulgo creditur. At si Dubricium a. 612 demum decessisse tam Annales Cambr. quam liber Land. referunt, *Oudoceus eodem tempore episcopus ibi non fuit, neque concilia ista VI saeculo sunt habita, sed si omnino habita sunt, VII saeculo.*

Sed vel de hoc dubitaverim. Tot enim agros et vicos a regibus tunc Landavae donatos esse auctor refert, ut ejus concilium facile perspiciamus. Urbanus enim hujus sedis episcopus (1108—33) a Romanis pontificibus petiit, ut quae a Normannorum regibus rapta ecclesiae essent, restituerentur. Desiderii quo facilius compos fieret, non vetusta solum siqua post varias devastationes donationum documenta supererant, sed ficticia quoque, qui tunc mos erat, protulit. At si quis illud in dubium vocarit, aliud imperitiae exemplum satis docet, quae fides libro illi sit habenda. Libri enim auctor ab Eleutherii et Lucii temporibus usque ad suam aetatem Landavenses tam Pontifici Romano quam regibus Anglorum semper paruisse affirmat.

Viginti episcoporum ante Urbanum in Donationibus mentio fit, sed a decimo demum calculus subductus est. Anno 927 Cyfeiliawg ab Ethelredo Archiepiscopo Cantuariensi ordinatus est.

10. *Menevia* sedes episcopalis, omnium consensu a Davide est constituta, qui secundum Annales Cambrenses a. 601 decessit. Medio igitur fere VI saeculo et hic sicut Landavensis episcopatus institutus est. Plures hujus sedis episcopi enumerantur in Annalibus Cambr. (conf. supra) aliaque quae ad eam spectant, referuntur. Sub IX saeculi finem Nobis episcopus (840—73) quum Hermeid, Demetiae rex, Menevenses opprimeret et »parochiam St. Degui spoliaret«, Asserio teste auxilium ab Aelfredo M. petiit.

Praeter haec nulla Giraldo priora monumenta exstant. Is Davidem Archiepiscopatum ab Urbe Legionum huc transtulisse refert. In libro autem Landavensi legimus, Samsonem pallium Dolum in Armorica a 930 secum portasse, ideoque apud Dolenses Archiepiscopalem dignitatem inde ab hoc tempore fuisse. At pallium apud Britones cujuslibet clerici vestimentum vocari solebat. Narratio igitur illa post inductum demum Romanum pallium orta esse videtur.

11. *Bangor* ad Menaium fretum, sedes episcopalis, de qua ante a. 1039 nihil certi invenitur. Sed vix dubito, quin Daniel ille, cujus obitus ad a 584 in Annalibus Cambr. refertur, primus illius sedis episcopus fuerit, quamquam ibi episcopus appellatus non est.

12. *St. Assaph* quoque VI saeculo a Kentigerno conditum esse perhibetur, cujus obitus in Annalibus Cambr. a 612 notatur. Sed inde usque ad a. 1143 obscura est hujus ecclesiae historia. Cantuariae subjecta est a. 1175.

*Monasteriorum* celeberrimum fuit

1. *Bangor* prope Legionum castra, quod a Dinoto constitutum esse fertur. Alius hic fuisse videtur ac Dunaut rex, qui secundum Ann. Cambr. obiit a. 595. Dinotus vero quum abbas esset, Beda teste (H. E. I, 31) de nobilissimo isto monasterio ad synodum apud Augustini quercum habi-

tam plures viri doctissimi venerunt. Idem tot ibi fuisse monachos refert, »ut cum in septem portiones esset cum propositis sibi rectoribus monasterium divisum, nulla harum portio minus quam 300 homines haberet, qui omnes de labore manuum suarum vivere solebant.« (conf. Vaughan Triad. ubi ex 2400 monachis centeni quaque hora orasse et cantasse feruntur.) Sed jam a. 613 pugna ab Aedelfrido facta 1200 monachi occisi sunt. Monasterii ruinae Guilielmi Malmesbir. temporibus supererant (Gesta I, § 47 ed. Stevenson).

2. ***Meneviae*** quoque coenobium fuit conf. Ann. Cambr. ad a. 645.

3. ***Llanvit vel Llan Iltut*** IV saeculo ab Iltuto,

4. ***Llancarvan vel Carbani vallis*** a Cadoco ca. 500,

5. ***Docunni*** eodem fere tempore esse condita putantur. Haec tria autem monasteria in libro Landavensi memorantur. Synodis enim istis ab Oudoceo habitis abbates horum monasteriorum interfuisse feruntur. Nihil igitur certi, quum alii fontes desint, ad nos pervenit.

***Ex quinque igitur monasteriis Bangorense quod antiquissimum semper habitum est floruit VI saeculo, Menevense VII saeculi initio. Reliqua quando fuerint condita, prorsus latet. Sedes autem episcopales VI saeculo Landaviae, Meneviae, Bangori, St. Assaphi constitutae fuerunt.*** Medii vero aevi scriptores nulla ratione altius ecclesiarum originem repetunt, easque a Germano vel discipulis ejus esse conditas fingunt. His autem fictionibus, quibus vel hodie fides habetur, tenebrae obductae sunt rebus clarissimis. Alii vel a Lucio rege (conf. supra) II saeculo ecclesias et monasteria illa esse constituta stolidissime tradunt.

Quatuor vero urbes istae etiam Giraldi temporibus sedes episcopales fuerunt. Archiepiscopatum Menevia tunc habuit (Gir. Itin. I, 4; II, 1. Descr. IV). Quum vero et Landavia atque Legionum urbs hunc sibi quondam vindicaverint honorem, difficillimum est dictu utrum penes unam semper an penes varias variis temporibus fuerit. Beda denique quum septem Augustini tempore (c. 600) fuisse episcopatus referat, nescio an hoc de omni ea, quae a Saxonibus nondum subacta fuit, Britanniae parte dictum sit. Reliquarum ecclesiarum memoria plane fere evanuit, sed hoc summi est momenti, quod Urbs Legionum, Verolamium, Londinium, Eboracum, Colcestria, Durovernum, Dubrae praecipua Romanorum fuerunt loca. Quod non casu ac fortuito esse factum existimo, sed hoc inde colligo, ***religionem Christianam non a Gallis primo inductam esse, sed legionum Romanarum itinera commerciique vias secutam.***

Haec de ecclesiis. Alia hujus generis monumenta nulla exstant, ***neque Martyrologia, neque Calendaria*** nec quidquam quod ***ad ritus sacros*** spectet. ***Neque de conciliis Britannicis certi quidquam ad nos pervenit.*** Beda quidem duo refert a Germano et Augustino habita. ***Tria***

*autem Landavensia ista maxime dubia sunt ac nullo modo VI saeculo, quod vulgo creditur,* habita. Quae reliqua initio VI saeculi habita esse dicuntur, ficta sunt.

Superest, ut de illustrium virorum *Vitis* pauca addamus. Illae XII demum saeculo confectae vel fictae sunt.

*Dibric* (vel Dubricius) primus Landaviae episcopus obiit 612 (Ann. Cambr.) at Matth. Floril. VIII, 10 eum ab Aurelio c. a. 490 episcopum factum, liber Land. vero a Germano (429—48) consecratum fuisse referunt.

*David,* qui sec. Ann. Cambr. 601 decessit, Guilielmo Malm. auctore a. 546 Glastoniae obiit.

*Daniel* Bancorum, Gildae aequalis, mortuus est a. 584 Ann. C.

*Iltutum* in Mirabilibus Britanniae, quae X saeculo Historiae Britonum adjuncta erant, ecclesiam aedificasse legimus quae »manet usque in hodiernum diem.« — Sed quonam saeculo vixerit nescimus, nisi is »magister ille Britanniae« (conf. Gild.) fuerit, quem VI saeculi initio vixisse ex Gilda cognoscitur. Fuerunt igitur illi Gildae vel aequales, vel paulo hoc juniores. *Sed scriptores quo fuerunt recentioris aetatis, tanto antiquiori res hominesque adscripserunt* nec quidquam potius habuerunt, quam ut cum illustri quodam viro suorum vitas connecterent. Nunc demum Britonum monumentis indagatis, adeamus

## Cap. VI. EXTERNORUM SCRIPTORUM TESTIMONIA.

Antiquissimum est illud *Tertulliani* adv. Jud. c. VII. Adductis Veteris Testamenti vaticiniis ad Psalm 18, 5, haec dicit »Cui enim et aliae gentes crediderunt, Parthi et cet. (Acta Apost. 2, 19) tunc et in Jerusalem Judaei et ceterae gentes, ut jam Getulorum varietates et Maurorum multi fines, Hispaniarum omnes termini et Galliarum diversae nationes et *Britannorum* inaccessa Romanis loca, Christo vero subdita et Sarmatarum et Dacorum et Germanorum et Scytharum et additarum multarum gentium et provinciarum et insularum multarum nobis ignotarum et quae enumerare minus possumus« et cet.

Proximus est *Origenes* laudandus, qui in *Homil IV in Ezech.* (Hier. interpr.) Judaeos impletum videre dicit quod dictum fuerit de Christo, sed stulte personam ignorare. »Quando enim terra *Britanniae* ante adventum Christi in unius Dei consensit religionem? quando terra Maurorum, quando totus semel orbis? Nunc vero propter ecclesias, quae mundi limites texunt, universa terra cum laetitia clamat ad Dom. Israel« et cet.

*Idem in Hom. VI in Luc.* 1, 24 et cet. ad illud »in omnem terram exivit sonus« et cet. »Virtus domini Salvatoris et cum his est, qui ab

orbe nostro in Britannia dividuntur et cum his, qui in maritima et cum universis, qui sub sole in nomine ejus crediderunt. Vide ergo magnitudinem salvatoris, quomodo in toto orbe diffusa sit.«

*Idem in Hom. XXVIII in Matth.* 24. finem saeculi nondum adesse demonstrat his verbis: »Nondum fertur praedicatum esse Evangelium apud omnes Aethiopas, maxime apud eos, qui sunt ultra flumen, sed nec apud Seres, nec apud Orientem audierunt Christianitatis sermonem. Quid autem dicamus *de Britannis* aut Germanis, vel apud barbaros Dacos et Sarmatas et Scythas quorum plurimi nondum audierunt Evangelii verbum, audituri vero sunt in ipsa saeculi consummatione.«

Haec Homilia si Origeni, ut opinio est, non fuerit tribuenda, ipse quidem repugnantia non loquitur, sed eo magis illa argumento est, etiam post Origenem de praedicato in Britannia evangelio inter scriptores minime constitisse.

*Eusebius* quoque *Ἐυαγγελ. Ἀποδειξ.* III, 5. apostolos non impostores fuisse demonstrans, eos ad Armenios, Parthos, Scythas iisse dicit et ita pergit: *τινας δε και ἐπ᾽ αὐτα της οἰκουμενης ἐλθειν τα ἀκρα, ἐπι την των Ἰνδων φθασαι χωραν, και ἑτερους ὑπερ τον ὠκεανον προσελθειν ἐπι τας καλουμενας Βρεττανικας νησους* et cet.

*Theodoretus* dein *περι Νομων IX … οἱ δε ἡμετεροι ἁλιεις και οἱ τελωναι … τα Σκυθικα και τα Σαρματικα ἐθνη και Ινδους και Ἀιθιοπας και Περσας και Σηρας και Ὑρκανους και Βακτριανους και Βρετανους και Κιμβρους και Γερμανους και ἀπαξαπλως παν ἐθνος και γενος ἀνθρωπων δεξασθαι του σταυρωθεντος τους νομους ἀνεπεισαν.*

Similiter *Arnobius* Disput. adv. Gent. II, 7, *Hieron.* ad Heliod. Ep. III, *Augustin.* Ps. 96. qui omnes Britanniam non nominatim adducunt. Commentarius autem in Psalm., ubi Britones memorantur, Arnobio perperam tribuitur.

Ita III, IV, V saeculi scriptores oratorice magis quam historice impletum propheticum illud (»in omnes terras exivit sonus« et cet.) descripserunt. Nemo enim illos quibusnam jam praedicata fuerit doctrina christiana, diligenter et accurate prius indagasse quam ista protulerint, existimaverit. Quid quod repugnantia ista (apud Orig.) illos vel conversas jam gentes vel non conversas, sicut ipsis quadraret, induxisse manifestissime docent. Hoc unum igitur ex istis experimur, inde a III saeculo scriptores vel potius apologetas christianos, quin ubique terrarum jam praedicatum esset Evangelium, non dubitasse. Idque ab ipsis Christi discipulis factum esse sensim praevaluit opinio. Itaque idem ille *Theodoretus* ad Ps. 116, 2. haec de *Paulo* dicit: »*ὑστερον μεντοι και της Ἰταλιας ἀπεβη και εἰς τας Σπανιας ἀφικετο και ταις ἐν τῳ πελαγῳ διακειμεναις νησοις την ὠφελειαν προσηνεγκε. Ῥωμανοις μεν γαρ ἐπιστελλων ἐφη*« et cet. Rom. 15, 24 et Tit. 1, 5. conf. id in II Tim. 4, 17, quibus ex locis, quidquid de Pauli

itineribus retulit, hausit. Ex loco Tit. 1, 5 autem quem adduxit concludo, verbo pelagi non Oceanum sed mare mediterraneum intelligendum esse. Sin vere insulas Britannicas in animo habuit, incepit tantum oratorico sermone, quae *Venantius Fortunatus* VI saec. poetico perfecit. Is cursum Pauli describens in Vita Martini III, quum alia tum haec cecinit:

»Transit et Oceanum vel qua facit insula portum
Quosque Britannus habet terras atque ultima Thyle.
Buccina concrepuit regiones una per omnes« et cet.

Recentiores vero istis scriptores alios quoque Christi discipulos in Britanniam venisse tradiderunt. Legitur enim jam in libro, quem de Patribus utriusque testamenti Isidorus putatur scripsisse:

»*Philippus a Bethsaida* Gallis praedicavit barbarasque gentes vicinasque tenebris et tumenti oceano conjunctas ad scientiae lucem fideique portum deduxit.« Quem integrum locum Freculphus Lexoviensis episc. (IX saec.) in Chron. II, 4 transcripsit; Freculphum autem Guilielmus Malmesb. secutus fabulam istam de duodecim Philippi discipulis et Josepho Arimath. composuit (conf. supra de Glast.).

*Aristobulum* deinde seu Zebedaeum episcopum esse in Britanniam missum, Heleca X saec. episcopus Caesaraugustanus retulit, consentientibus Dorotheo et Menologiis Graecis ad XV. Mart. In iisdem ad X Mai.

*Simon Zelotes*, quem in Perside obiisse ad XXI Oct. Romani notant, crucifixus in Britannia esse fertur (conf. Niceph. p. 483 ed. 1559). In Commentario autem de Petro et Paulo (Act. Sanct Jun. XXIX p. 411), quem a Simeone Metaphrasta esse scriptum Leo Allatius jure negat,

*Petrus* diu in Britannia commoratus esse dicitur. Quod nemo mirabitur, si quidem Innocentius III papa eo progressus est arrogantiae, ut praedicati Occidentalibus populis evangelii laudes, detractas a reliquis apostolis in Petrum conferret.

*Jacobum* denique Zebedaei Gallias ac Britannias visisse in Flavii Dextri Historia invenitur, quam a Ruderico Caro (1625) fictam esse, jam Henschius (Act. Sanct.) demonstravit.

Ita quum jam dudum per universum fere orbem Evangelium ab ipsis Christi discipulis praedicatum esse crederetur, medio aevo alii alios sibi patronos eligebant, quos quam plurimas terras adiisse et convertisse gentes fingebant. Talibus enim nugis tam illustrium virorum laudes augere, quam suae quisque ecclesiae auctoritatem fulcire sibi videbantur. Quod illi aetati ignoscendum est. At quum usque ad hodiernum diem non deesse videamus, qui tum aliis ejusmodi fabulis aurem praebeant, tum ad unum illud Theodoreti tanquam adminiculum firmissimum adnisi, a Paulo primo doctrinam christianam Britonibus esse praedicatam contendant, nos quidem tantam credulitatem et historiae inscitiam mirari satis non possumus.

***Britannicae igitur ecclesiae origo neque externorum scriptorum testimoniis in lucem evocatur.*** De aliis vero rebus vel nova ab iis vel certiora discere licet. Quod enim de Diocletiana persecutione ex Eusebio Gildas retulit, ex ejusdem Hist. Eccl. VIII, 13. 17. Vita Const. I, 13, de martyr. Pal. c. 13 (conf. Soz. H. E. I, 6) corrigendum est. Tribus dein conciliis interfuisse Britones feruntur.

***Concilio Arelatensi*** a. 314 adfuisse illos, quamquam nemo negat, tamen de eo, quinam et quot adfuerint, controversia est. Isidorus enim Mercator »ex provincia Britannia Eburium« memorat. Petrie Crabbe vero: »ex provincia Britanniae, civitate Londin. Restitutus episc., ex prov. Byzacena civit. Tubernicensi Eburius ep., ex eadem provincia civit. Culcucitana Adelphius« (conf. Crabbe Conc. 1538).

Byzacena vero IV saeculo provincia Africana fuit. Turbunicensis episc. in Catal. episc. Afr. memoratur, dein Tubunia et Tuburba atque Culsita sedes episcopales in Africa procons. fuerunt.

Alium denique Labbaeus (Conc. 1671) ex Corbeiensi codice transcripsit catalogum, qui quondam secundo concilio Arelat. praepositus fuit. In eo 42 episcoporum nomina mendose admodum scripta inveniuntur, inter quae »***Eborius*** episcopus de civitate Eboracensi, provincia Britanniae, ***Restitutus*** ep. de civitate Londinensi, provincia supra scripta, ***Adelfius*** ep. de civitate Colonia Londinensium; exinde sacerdos presbyter Arminius diaconus.«

Incertiora igitur haec sunt, attamen non est, quod dubitemus, quin concilio a Constantino convocato episcopus Eboracensis vel plures, si qui tum exstiterint Britanniae episcopi adfuerint.

***Sardicensi dein concilio*** a. 347 Britannicos quoque episcopos adfuisse Athanasius refert in Ap. II contra Ari. (Op. ed. Commelin. I, 360 et in Epist. ad solit. vit. ag. p. 640.) At neque in 59 episcoporum numero apud Isidorum Merc. neque inter 97, qui in codice Veronensi exstant, ullum Britanniae episcopum inveni.

***Concilio Ariminensi*** 359 Sulpicio Severo teste plus quam 400 episcopi occidentales interfuerunt. Tum repudiantibus annonam Aquitanis, Gallis, Britannis tres tantum episcopi Britannici inopia proprii publico sumtu usi esse feruntur.

Pauca denique, quae ad ritus et doctrinam spectant, passim occurrunt. ***Constantinus*** enim Ep. ad Alex. (Vit. III, 18) de ***Paschae observatione*** hoc dicit esse decretum: *ἱν᾽ ὁπως δ᾽ ἀν κατα την Ρωμαιαν πολιν, Ἰταλιαν τε και Ἀφρικην ἁπασαν, Αἰγυπτον, Σπανιαν, Γαλλιας, Βρεττανιας... μιᾳ και συμφωνῳ φυλαττεται γνωμῃ ἀσμενως, τουτο και ἡμετερα προςδεξηται συνεσις.*

***Hilarius*** autem in literis ad Germaniae et Britanniae aliosque episcopos c. a. 358 scriptis Britones ait »incontaminatos et *illaesos ab omni*

*contagio detestandae haereseos* (Arianae) perstitisse.« Idem de Gallis et Britannis Athanasius refert in Ep. ad Jov. c. 363 (conf. supra Gild.). De Pelagiana haeresi hoc loco dicere non opus est, ex qua quum Prospero teste ab Agricola demum Pelagiano c. 429 sit allata, de Britonum doctrina conjicere nihil licet, idque eo minus, quum de Pelagii et Coelestii vitis nihil fere certi traditum sit. Eodem tempore a Coelestino pontifice Romano Germanum in Britanniam, ad Scotos Palladium esse missum, Prosper refert (conf. supra).

*His autem testimoniis si fides est habenda, diversam fuisse antiquissimam Britonum ecclesiam ab ea, quae VI saeculo reviviscere coepit colligendum est.* Illa in Pascha celebrando Romanis consentiebat, haec ab iis quam maxime dissidebat. IV saeculo ad 3 concilia legatos miserunt, postea nunquam. Tunc etiam ab episcopo Romano missi sunt, qui doctrinam veram restituerent; Gregorii vero monachis Britones acerrime restiterunt.

*Quid quod nihil omnino exstat, quod antiquissimas ecclesias aut a Gallis constitutas esse demonstret, aut a Romanis, officiat.* Sed jam eo perducta est haec nostra disputatio, ut quibus aetatibus distingenda sit Britannicae ecclesiae historia, cognosci liceat.

*Prima* quidem *Primordiorum est aetas usque ad V saec.*, de qua, deductis incertis testimoniis, paucissima memoriae nobis sunt tradita. Nam neque Gildas praeter Diocletianam persecutionem haeresesque inductas quidquam fide prodidit dignum, neque Beda certi aliquid vel novi attulit. De primordiis igitur ab his nihil prorsus hauriri potest. Ipsi enim fere omnia ab externis sumserunt scriptoribus. A quo igitur vel quando Britonibus primum fuerit Evangelium allatum, in occulto latet. A Romanis vero potius quibus tunc temporis cum Britonibus commercium fuit, quam a Gallis hoc factum esse, suspicari licet. Fuisse igitur initio IV saeculi in Britannia nonnullas ecclesias, haereses dein varias inductas et hanc ob causam Germanum anno fere 429 in Britanniam esse missum — haec fere sunt, quaecunque fide digna accepimus. Sed a Saxonum adventu usque ad Gildae tempora historiae sempiterna nox offusa est. Id unum proditum est nobis, ecclesias a Saxonibus fuisse dirutas, Britones pulsos ex sedibus in Cambriam se recepisse. Ibi

*Secunda aetate ab VI ad VIII* saeculum novum quasi ecclesiae fundamentum Britones jecerunt. Utrum vero intemeratam doctrinam et integras institutiones in continuis bellis et omnis generis calamitatibus servarint, an Gallorum ope, ad quos pars Britonum confugerat, restituerint sacra, in medio relinquamus. At hoc certissime scimus, hujus aetatis ecclesiam maxime ad Gallicanae indolem accedere. Hac aetate restitutae et conditae sunt ecclesiae, monasteria instituta, incensa literarum studium atque viri

illi prodierunt, quorum nulla memoriam delevit oblivio. Cujus indoles aetatis in Gildae libris ut in speculo perspicitur.

Gildam Beda excepit, qui summis laudibus Britonum instituta extulit nec nisi eorum ritus rejiciendos esse putavit, quibus vel anno 731 addictissimi fuerunt. Tandem vero, quum jam omnes praeter ipsos Pascham et tonsuram Romanam accepissent, a. 768 Elbodugus ritus istos induxit.

*Tertia denique aetas saecula IX—XII* complectitur. Initio hujus aetatis, quae continuis Saxonum Danorumque invasionibus ac bellis est cognita, Historia Britonum scripta est, ex qua ecclesiae et literarum qui tunc status fuerit, intelligi potest. Pristinam cum vera religione superstitionem miscere ac fabulis magis et vana gloriatione quam historiae veritate delectari coeperunt. Cum Hiberniensibus vero iis tum necessitudinem fuisse ex Annalibus Cambriae cognoscimus. Unus tantum sub IX saeculi finem vir magnus exstitit Asserius Menevensis.

Jam vero inde a X saeculo ecclesiae Cantuariensi sedi se subdere coeperunt, XII$^{mo}$ denique huic paruerunt omnes.

# ECCLESIASTICAE SCOTORUM HISTORIAE FONTES.

Scotorum monasteriis scholisque honores nunquam non habiti sunt amplissimi. Maxime autem lucent Bangorense coenobium in Hibernia, apud Pictos Hyiense, quae sanctae vitae deditis refugia, literarum dein quasi nutrices, seminaria denique multorum longe lateque monasteriorum et ecclesiarum exstiterunt. Quae tunc in illis morum simplicitas vitaeque fuerit integritas, quantum literarum, maxime sacrarum studium, quantus divulgandae religionis christianae ardor, tam ex Bedae Historia, quam ex ipsis Scotorum monumentis perspici licet. Quum vero Hiberniensium monasteriorum primordia oblivione fere obruta sint, qualia fuerint ex eorum monumentis, quae originem inde duxerunt, cognoscendum est. Ex his vero quae satis nota sunt, retractare nolumus sed iis tantum perscrutandis operam dabimus, quae vel nondum sunt indagata, vel parum diligenter tractata. Itaque primo ex Annalibus Hiberniensibus, quae sint antiqua, eruere, Ritualia dein Scotica quaedam investigare, de Patricio denique Hiberniae apostolo disserere studebimus.

## Cap. VII. ANNALES HIBERNIENSES.

Hos quicunque pervolverit cur nulli historiarum libri ad nos pervenerint, facile videbit. Continent enim vix quidquam praeter regulorum bella et victorias, episcoporum nativitatem, obitum, laudes. In colligendos autem

atque edendos Annales Oconor summam operam impendit in libris qui inscribuntur »Rerum Hibernicarum Scriptores« (1813. IV Vol.). Post eum Societas Archaeologica Hibernica, constituta a. 1840, alios quosdam edendos curavit. Hi vero sunt, quicumque exstant Annales.

1. *An. Tigernachi* (XI saec.) ab anno 305 ante Chr. usque ad a. 1088 post Chr. — continuati ad a. 1178. ed. Ocon.
2. *An. Ultonienses* (XII saec.) ab a. 431 — 1131 p. Chr. ed. Ocon.
3. *An. Inisfalenses* (XIII saec.) ad a. 1215 — cont. ad 1322. ed. Ocon.
4. *An. Buelliani* (XIII saec.) ad a. 1253. ed. Ocon.
5. *An. de Monte Fernandi* (XIII vel XIV saec.) 45 — 1274 ed. Soc. Arch. Hib.
6. *An. Hiberniae a Jac. Grace Kilken* scripti (XVI saec.) ab a. 1152 — 1370. ed. Camden et Soc. Arch. Hib.
7. *An. IV Magistrorum* (XVII saec.) usque ad 1267. ed. Ocon. Illi se 115 libris usos esse referunt.

Horum in tribus antiqui scriptores laudantur, de quibus solis hoc loco dicendum est.

1. *Tigernachi Annales.*

Tigernachus, Cluanmacnois monasterii abbas eos usque ad a. 1088, quo mortuus est, perduxit. Codex antiquissimus res ab a. 305 ante Chr. ad 160 p. Chr. tantum continet. Alius quidem XIV saeculo scriptus, cod. Rawlinson 488 mutilus est. Desunt enim folia, quae res ab a. 360—482 et ab a. 766—973 continuerunt. Annales partim latino, Hibernico partim sermone scripti sunt. Num quae Hibernice Tigernach scripsit, ab aliis hauserit, quae Latine, ipse addiderit, perdifficile est dictu. Temporum computatio duplex est. Anni enim addita Kalendis nota feriali indicari solent. Sed passim calculi a mundi principio vel a Christi Incarnatione subducti occurrunt, qui forsitan a librario additi sunt. Aera enim Dionysiana a Flanno demum Butensi monacho c. a. 1050 inducta est (conf. plura de hac re Oc. R. H. Vol. I Appendix). Addo quod aera illa in cod. Hib. Harlei. 1802 c. 1138 scripto ad calculum conficiendum adhibita non est.

Pleraque, quae in Annalium initio referuntur, ex Eusebio, Hieronymo, Beda, Isidoro et cet. congesta sunt, nec quidquam memoratu dignum invenitur praeter haec ad annum 341 »Patricius nunc natus est« et ad a. 357 »Patricius captivus in Hiberniam ductus est.« In iis, quae sequuntur ab anno 483 calculi saepius cum vera historia pugnant. Beda enim secundum Tigernachi computationem Historiam a. 712 scripsisset, Augustinus a. 583 advenisset in Britanniam. Sed de his plura dicere nobis in animo non est. *Antiquis tantum quibus usus sit scriptoribus* quaeramus.

Carminibus Scoti clarorum virorum laudes et principum proelia atque victorias antiquitus posteritati propagare soliti erant. Qui mos neque apud

Hibernienses Scotos neque apud Albanienses unquam plane abolevit. Itaque et Tigernach ex carminibus epicis multa hausit, et quod pluris est, carmina ipsa Annalibus inseruit, dein decem fere poetas testes laudavit, aliorum denique obitum retulit. Ex his unum silentio non praeterierim, *Cenfaeladium* nempe, cujus non solum ab a. 500—563 saepius carmina adduxit, sed et mortem ad a. 679 adnotavit. Et hoc quoque ex Tigernacho cognosci licet, qua aetate floruerint poetae. Ante a. 360 poetam nullum laudat. Num ullos citaverit ad Annalium partem a. 360—480, quum desit folium, nescimus. Sed jam ad a. 490 carmen adduxit, ad res VI saeculo gestas poetas non paucos, sed plurimos ad VII saec., duos tantum ad VIII saec. neque quemquam eorum, quos antea laudavit; ab annis denique 973—1088 nonnisi unum. *Hinc sequitur, VII saeculo et octavi initio poetas floruisse.* Eadem aetate scriptores quoque viguisse videntur. Sic enim ad a. 643 scriptum est »ut quidam dicunt Historiographi« et ad a. 662 »ut alii dicunt.« Denique VI et VII saeculo plurimorum scriptorum et poetarum obitus memorati sunt. Num eodem tempore pauca quae ad historiam ecclesiasticam pertinent carmina sint composita, quamquam verisimile est, tamen pro certo affirmare non possumus. Carmina autem hujus generis, quae ab a. 493—605 passim occurrunt, haec sunt:

*ad* 493 *carmen de Patricio:* »a nato Christo mansueto jucundo | 400 anni cum dilectis 90 | 3 annos numera post istos | ad obitum Patricii primi apostoli.«

*ad* 513 obitus Erc episcopi Slanensis, quem Patricius his verbis cecinisse fertur »Episcopus Erc | omnia quaecunque fecit, recte facta sunt | quisquis consilium secretum dat rectum | obtinebit benedictionem Episcopi Erci.«

*ad* 520. »Natus est dilectus *Columba Clericus* | hodie, Praepositus supra Hiberniam doctam | eadem festivitate, non ignota refero | mors alma triumphans filii Bronagi | Beoadius Episc. *Arcarnaensis* quievit | Alildus Abbas *Ardmachanus* dormivit.« *ad* 534. Quies *Mocta.* »Dentes Moctei non adulantium fama haec | 300 annorum erant. diuturnum ministerium. | nec vocem contra bonos mores emiserunt extra | nec quidquam carnis admisere intra | nec angusta fuit familia Moctei | 300 presbyteri, 100 Episcopi commorabant cum eo | 60 seniores cantores psalmorum Choristae ejus | Familia regis valde illustris | quae nec arabat nec metebat nec triturabat | nec aliud faciebat, quam lectionibus incumbere.« *ad* 549. *Ciaranus* filius artificis obiit 7 post monasterium *Cluan-mac-nuais* (hodie Clones) conditum annis, et ipse dixit »Darerca mater mea fuit | non foemina vana quae sunt pravae mulieres | Liber homo erat pater | mater e propinquis Alili Molt.« *ad* 559 *Brendanum* ecclesiam *Cluanfertae* (hodie Clonfert) condidisse et posthac in curru suo in coelum ascendisse ex antiquo carmine refertur.

*ad* 561 oratio Columcille metrica proditur. Alio dein carmine ad 573 doletur, Carbreum Mononiae regem »virum justissimum non credidisse.« Alia quaedam oratio metrica exstat *ad* 597, quae sic incipit »Oro Divinitatem trinam, a praecinctu Ecclesiae ut separentur Eachii« et cet. Ad a. 605 denique »Saranum Saebderg archipraepositum Senboethensem occidisse socerum« ex carmine refertur.

Post a. 605 nulla, quae ad ecclesiasticam historiam spectent carmina allata sunt. Illa vero, quae Hibernice exstant, ex Oconori versione reddidimus. *Quae de Patricio in illis referuntur, quum anni ab Incarn. additi sint, antiquissima esse non videntur.*

Recentiores his 2. *Annales Ultonienses* sunt, qui ab a. 431 ad a. 800 perducti, et usque ad a. 1131 continuati sunt (conf. Ocon. I. Prol. 105). Scriptor aera communi usus est, quod praeter alia eum Tigernacho juniorem fuisse docet. Auctores dein eosdem fere, quos Tigernach adhibuit, sed duos, qui apud hunc non occurrunt, memorat, Cuanachum et Moctum. Illum, qui non alius esse ac Bersani nepos (obiit 738) putatur, ab a. 467—628 plerumque sequitur, novi vero praeter *Liserani* episc. mortem (468) et *Colmani* (610) nihil ex eo attulit. *Moctum* bis laudat ad a. 471 et 527 (Brigidae mort.).

3. *In Annalibus denique a IV magistris* XVII saeculo compilatis nihil memoria dignum invenimus. Quamquam enim quum de aliis tum de Patricio multo plura relata sint, tamen haec omnia adeo recentiorem aetatem sapiunt, ut a vetustioribus Tigernacho scriptoribus illos non hausisse facile appareat.

*Martyrologia* quoque tria hoc loco memoranda sunt, quorum alterum, ab *Aengusio* conscriptum, omnium consensu antiquissimum est hujus generis scriptorum. Aengusius enim sub VIII saeculi finem, vel IX initium »Festilogium« metrice composuisse fertur. Cujus vitam scripsit alius Aengusius, quem eundem esse atque abbatem Cluanfertae mort. 858 Colgan suspicatur. Aliud autem martyrologium, quod et *Tamlachtense* vocatur, quum ad a. 899 res perductae sint, eidem Aengusio, Festilogii auctori perperam attribuitur. Primus autem horum mentionem facit librorum Marianus Gorman (mor. 1070), qui Aengusium refert ex Martyrologio Tamlachtensi suum composuisse. His denique adjungendum est *Martyrologium Epternacense,* quod quondam in codice vetusto, Willibrordi vocato, exstitit. Est autem tam hoc quam Tamlachtense illud nihil nisi Martyrologium, quod Hieronymi dicitur, Hiberniensium nominibus auctum. Quamquam igitur vix sperari licet, antiquiora in iis inventum iri, tamen ea nondum ex vetustioribus codicibus in lucem esse edita, valde dolendum est. *Hoc tantum certum est, medio fere XI saeculo martyrologia illa exstitisse.*

## CAP. VIII. ANTIQUISSIMA LITERARUM ET RITUUM SACRORUM MONUMENTA.

Ad *literarum sacrorum monumenta* tam commentarii quidam, quam *Evangeliorum codices* vetustissimi pertinent, in quibus diligentissime et pulcherrime exarandis laudem Scoti nunquam non habuerunt. Ex his antiquissimus exstat *Codex Evangel. Wirceburgensis*, qui a Kiliano Wirceburgam allatus esse dicitur. Eum, quum antiquiorem Vulgata versionem exhibeat, VII saeculo esse scriptum dubium esse non potest. Eodem enim saeculo alii exarati sunt codices, qui Vulgatam reddunt, ille nempe, qui *Ceaddae* Lichifeldensi ep. adscribitur, pulcherrimus dein iste a *Cuthberto*, Lindisfarn., ut ferunt, exaratus (cujus Northumbricam versionem inter lineas adscriptam nondum editam esse maxime dolemus); *Rushworthianus* denique codex, cui et ipsi Saxonica adjecta est versio. Hi quidem tres codices VII fere saeculo a monachis Lindisfarnensibus exarati sunt. Accedunt ad hos codd. in Hibernia exarati 1. *Domnach-Airgid* (IV Evang. vers. Vulg.), quem a *Patricio* Maccaertho esse donatum mentiuntur (conf. Acad. Reg. Hib. Vol. XVIII a. 1839). Fuit quondam ecclesiae Clogher. 2. *IV Evang. St. Brigidae*, ut ajunt, Kildarensis (conf. Girald Topog. Hib. II, 38) qui dudum interiit codex. 3. *Cod. Ev. Kellensis*, S. Columbae manu ut fertur, exaratus; exstat nunc Dublini (conf. Oc. R. H. Vol. I.). 4. *Liber Dimma* continet IV Ev. (conf. Ac. Reg. Hib. Vol. XIII, 1819, Betham Ir. Antiq. Researches 1827) cui inserta est »Visitatio infirmorum« conf. infra. 5. *Liber Ardmachanus* (conf. Betham ib.) qui de Patricio varia, dein *Novum Testam.* adjectis Hieronymi introductionibus et Pelagii ad Pauli epistolas prologis, tum Sulpicii quaedam, orationem denique continet. De quo libro plura infra. 6. *Cummini Psalterium* quod quondam exstitit (conf. Ocon. ibid.). 7. *Salabergae* denique *Psalt.* Laudunense (ed. Vales. Rerum Francicar. 24). Omnes isti Hibernienses codd. Vulgatam exhibent. Quamobrem VIII saeculo priores esse non videntur, at quando fuerint scripti perdifficile est dictu. Valde est dolendum, quod de Pelagii prologis Betham nihil retulit. Quum vero liber Ardmach. fictis nominibus refertus sit, admodum dubitandum est, quin jure Pelagio adscripti sint. Qui vero IX saeculo doctrinae et literarum apud Hibernienses fuerit status, ex Sedulii et Claudii Scotorum in Nov. Test. commentariis cognosci licet.

Ad *ritus sacros* quod attinet, primo de codice illo *Bobiensi* dicendum est, quod Antiphonarium Benchorense Oconor appellavit (R. H. Vol. I Ep.). Hunc a Bobiensibus monachis Fredericus Boromaeus Ambrosianae Bibliothecae conditor cum aliis codd. acquisivit, Muratori deinde in Anecdotis Bibl. Ambr. Vol. IV. Patav. 1713 illum edidit, eumque initio VIII saeculi

putavit exaratum esse. Oconor autem codicem in Benchor (seu Bangor) monasterio Hiberniensi ante a. 691 exaratum esse ex duobus carminibus, quae sub finem exstant, conjecit. Alteri enim inscribitur »versus familiae *Benchuir*«, »Memoria abbatum nostrorum.« alteri. Incipit autem illud »Sancta Sanctorum opera | Patrum fratres fortissima | Benchorensi in optima| Fundatorum ecclesia;« in hoc vero 14 abbatibus enumeratis sequitur: »Christo nunc sedet supremus | Hymnos canens quindecimus | Zoen ut carpat Cronanus.« Qui abbates quum iidem fere in Annalibus Hiberniensium inveniantur, Cronanus procul dubio est ille, qui secundum Annales Hib. a. 691 mortem obiit. Unde justo plus Oconor conclusit. Ex rebus ipsis potius ubi et quando liber sit scriptus, cognoscendum est.

Sunt autem tres maxime libri partes, Hymni, Collectiones, Antiphonae, quibus nos numeros cuique, quo facilius ordo perspiciatur, adjungemus. Incipit autem codex »In nomine Dei summi.«

## I. *Hymni.*

1. »Canticum Moysi: Audite coeli« (Deut. 32).
2. Hymnus S. Hilarii de Christo.
3. Hy. apostolorum (de Christo).
4. Canticum Zachariae: Benedictus Dom.
5. Canticum: Cantemus (Ex. 15).
6. Benedictio trium puerorum (Dan.).
7. Hymnus in die Dominica (i. e. Ambros.).
8. Hy. »quando communicarent sacerdotes.«
9. Hy. »quando caeria benedicitur.«
10. Hy. mediae noctis.
11. Hy. in Natale Martyrum.
12. Hy. ad Matutinam in Dominica.
13. Hy. S. Patritii magistri Scotorum.
14. Hy. S. Comgilli abbatis nostri.
15. Hy. »S. Camelaci.«

## II. *Collectiones.*

| a) *ad Horas.* | *oratione vincta.* | *soluta.* |
|---|---|---|
| ad II | 17. | 16. 27. |
| III | 18. | 28. |
| VI | 19. | 29. |
| IX | 20. | 30. |
| Vesperem | 21. | 31. |
| initium noctis | . . . . | 32. 33. |
| dimidium noctis vel nocturnum | 22. 23. | 37. 52. |
| Matutinum | 24—26. | 38. 39. 53. 54. |

b) Inserta sunt 34. ad pacem. 35. Symbolum. 36. Oratio Dominica.

b) *Collectiones* (in Vigiliis Paschae an horis?).

| *Antiph. Bob.* | *Miss. Bob.* (Coll. Pasch.) | *Miss. Gal. Vet.* (Coll. Pasch.) | *de Synaxi Columban.* |
|---|---|---|---|
| 40. Oratio commun. fratr. | 1. simill. Gallic. Vet. | 1. pro solemnitate. | 1. pro peccatis nostr. |
| 41. pro baptizatis. | 12. pro competentibus. | 12. — neophytis. | |
| 42. — Abbate. | 9. — (Unitate eccl.) | 2. — (Ecclesiae unit.) | 2. — omni pop. christ. |
| 43. — Fraternitate. | 3. — sacerd. ac ministris. | 3. — Sacerdot. et clero. | 3. — sacerd. et reliq. grad. |
| 44. — pace popul. et reg. | 10. — pace pop. et reg. | 4. — regib. et pace. | 5. — pace reg. |
| 45. — blasphemantib. | | 11. — poenitentibus. | 6. — inimicis. |
| 46. — impiis. | | | |
| 47. — iter facientib. | 6. — peregrinant. | 9. — peregrinantibus. | |
| 48. — eleemosynariis. | 5. — his qui eleemos. etc. | 10. — Eleemos. largient. | 4. — eleemos. fac. |
| 49. — infirmis. | 7. — aegrotis. | 7. — aegrotis. | |
| 50. ad collectas. | | | |

Inseruntur 51—55 de Martyribus et ad horas collectiones.

c) *Collectiones* (ad missam matutinam?) 56—87.

| | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| α) post Canticum . . . . | 56 | super etc. 62 | 65 sup. | post 70 | post 74, b. | post 81 | sup. 84 | sup. 87. |
| β) — Bened. puer. . . | 57 | — 63 | 66 — | — 71 | — 75 | — 82 | — 85 | |
| γ) — Laudate. . . . . | 58 | — 64 | 67 — | — 72 | — 76 | — 83 | — 86 | |
| (tres Psalmos) . . | 58 | | 68 post | — 73 | — {77 | | | |
| δ) — Evang. . . . . . | 59 | | | | {78 | | | |
| ε) super Hymn. . . . . | 60 | | 69 — | — 74, a. | — 79 | | | |
| ζ) de Martyr. . . . . . | 61 | | | | — 80 | | | |

Additi sunt 88. Versus familiae Benchuir.
89. Collectio super hominem, qui habet diabolum.
90. de martyribus.

III. *Antiphonae.*

91. In *Natale Dom.* super Domine refug. (Ps. 90) ad II^dam^.
92. Ant. super Cantemus et Benedicite.
93. — — Laudate Dom.
94. de martyribus.
95.–96. Super Dom. refug. in *Dominicorum die.* (Antiphonae sunt Ps. 90, 13; item v. 16; item v. 14.)
97. *cotidiana* Ps. 90, 17.
98—105. ad *Communicare*; 100. Ps. 119, 171; 101. Ps. 34, 9; 103. Ps. 119, 103; 104. Joh. 6, 50.
106. ad *Vesperum* et ad *Matutinum* »Gloria in excelsis.«
Adjunctum est carmen 107. »Memoria patrum.«

Ordo igitur libri turbatus est primo in Collectionibus ad Horas 16—39, missae parte 34—36 inserta; dein nescio cur 51. 55. 90 de martyribus 52—54 ad Horas collect. fuerint additae. Quaeritur deinde cur Canticorum 1. 4—6 initium tantum scriptum fuerit. Ordo enim Hymnorum canendorum hymnis istis praeter 5—7 non sane indicatur.

I. Primum quod ad *Horas* attinet, antiquitus earum tres maxime

orando et Scriptura legenda celebrare morem fuisse satis constat. Caesarius deinde Arelat. (VI saec.) »ut quotidie III, VI, IX$^{a}$ opus cum hymnis cantaretur, instituit.« Synodo dein 742 Cloveshoviae in Britannia habita decretum est: »ut 7 canonicae orationum diei et noctis horae diligenti cura cum Psalmodia et cantilena sibimet convenienti observentur.« (conf. Ranke Pericopensyst. p. 12.) Sed multo prius, medio nempe V saeculo, Synodo Hiberniensi (a Patricio habita) horarum celebrationem clericis imperatam esse putant (can. VII). Canones vero istos quum alia multa tum canon VI de romana tonsura, longe post Patricium esse compositos, manifeste docent. Mos autem ille communis omnibus erat ecclesiis. In Horis igitur tam Psalmi, Antiphonae, Symbolum, Doxologia recitari quam Scripturae lectiones et Martyrum Vitae et cet. legi solebant (conf. Ranke ib. Rubeis de sacr. Foroj. rit. p. 412). Similiter in Antiphonario Bench. exstant »Antiphonae, cotidiana 98, ad Vesperum et Matutinum 106, dein Collectiones 16—33; 37—94; 52—54; denique 34—36, ad pacem, symbolum, oratio Dom. Metricae collectiones 17—26 forte cantabantur. Sunt autem tetrametra tetrasticha, quae neglecta syllabarum quantitate extremis similiter sonant verbis. Huc pertinere videtur Hymn. 10. ac forsitan Collectiones 40—49 (conf. Columbanus de Synaxi). At hae

II. Ad *Officium Paschale* potius referendae esse mihi videntur, aeque ac Collectiones 56—87, Antiphonae 92—94. 99 et cet., Hymni 5—10 et forsitan 2. 3. Quod Collectiones satis indicant. Legitur enim Coll. 67 post »Evang.«: ».... diem Dominicae resurrectionis nobis solemniter celebrantibus«; Coll. 67 post »Laudate«: »te adoramus, ut in hac vigilia Sollempnitatis ad missa pervenire praestes«; Coll. 68 post Ev. »Domini resurrectionis initium venerantes«; Coll. 73 »Resurgentem in hoc diluculo« conf. 74. 78. Unde colligi licet, haec ad Paschae officium matutinum pertinere.

Hic igitur Officii ordo esse videtur.

1. *Orationes in Vigiliis Paschae* 40—50.
   Cerei Benedictio Hymn. 9.
2. *Missa in Vigiliis Paschae.*
   *a*) Antiphona 92. — Cantemus 5. Collectio 56 et cet.
   Benedicite 6. Collectio 57 et cet.
   *b*) Antiphona 93. — Laudate 7. Coll. 58.
   *c*) *Evangelium* et Coll. 59.
   *e*) Hymnus (2 et 3?) et Coll. 60.
   *f*) Antiphon. 94. de Martyrib. et Coll. 61.
3. *Coena Domini* Antiphon. 99—105.
   Hymn. 8.

III. De aliis officiis paucissima exstant. Pertinent autem

1. ad *Domini Natales* »Antiphon. 92.« »Refugium (Ps. 90, 1) ad

secundam« et forsitan Zachariae Canticum 4, quod apud Gallos non tantum hac die post Prophetiam cantari, sed etiam secundum Conc. Tolet. IV c. 13 ad omnes solebat missas adhiberi. Nescio an Mosis Canticum (Deut. 32) et forte Hymn. 2, 3 ad hanc pertinuerint festivitatem.

2. Ad *Martyrum* dein solemnitates attinent Antiph. 94 coll. 51. 57. 61. 80. 90. Hymn. 11. Utrum vero Martyrum omnium una die an diebus aliis aliorum memoria celebrata fuerit, quaeritur. His procul dubio adjuncti erant tres illi Scotorum Sancti, qui Hymnis 13—15 efferuntur.

3. *Die Dominica* quoque Antiphonae 95—97 (»super Domino refugium« sicut in Natal. Do.) et Hymni 12 »ad Matut.« atque 7 Laudate cantabantur; quo posteriore et alias utebantur.

4. Communis denique Martyrum Natalibus et *Sabbato* erat Hymnus 11.

Diversorum igitur pro diversis diebus officiorum quum tam pauca exstent indicia, suspicari licet, *idem fere, paucis mutatis, officium pro dominicis aliisque festis diebus fuisse institutum.* Quum vero in vetustissimis Liturgiis non singula singularum solemnitatum officia sed varia cujuslibet inveniantur, *hoc inter antiquissima Antiphonaria numerandum est.*

Ad *Gallicanas* dein Liturgias illud proxime accedit. Quamquam enim Horarum observatio communis erat omnibus ecclesiis, tamen collectiones supra dictae simillimae sunt iis quae in antiquissimo Missali Gallicano seu Bobiensi de quo modo dicendum erit reperiuntur. Orationes dein istae Paschales (benedictio cerei), Missa in Vigiliis, in qua Evangelium quoque legebatur, cum eodem missali aliisque conveniunt. Cantica vero 5. 6, teste Lectionario Luxov., conf. Mabill. Lit. Gall., inter crebras Lectiones Sabbato sancto usitatas canebantur. Nomen collectionis dein orationis loco Gallis proprium erat. Antiphonae denique quae ad coenam Domini spectant, sicut illa ad secundam Natal. Do. ad missam diurnam videntur pertinere. Dignum quoque memoratu est quod Antiphonarum aliae (92—98) ex Vulgata, ex Itala aliae (99—104 ad coen. Do.) sumtae sunt. Antiphonas autem easdem in Gallicanis monumentis, quod in ejusmodi scriptorum paucitate haud miror, non inveni, in Romanis vero prorsus diversas.

Quae omnia si respexerimus, *Gallicanis ritualibus Bobiense non poterimus non adnumerare.* Carmina vero, quae ibidem exstant, Scotis sine ulla dubitatione adscribimus, inprimis duo illa, quorum »Memoria Abbatum nostrorum« alteri, alteri »Versiculi familiae Benchuir« inscribitur. Illud vivo Comgallo i. e. ante 691, utrumque vero in Bangor Monasterio Hibern. esse compositum, manifestum est. Versuum autem genus est illud, in quo neglecta plane syllabarum quantitate et hiatu, id unum agitur, ut servato certo earum numero extremae sonent similiter. »Versiculi« igitur, qui ex decem tetrastichis, jambicorum similibus, constant, omnes in voca-

lem a exeunt, »Memoria« vero ex 6 strophis, quarum sex vel octo quaeque habet versus extremis verbis similiter sonantes, et ex Antistrophe est composita quae post singulas strophas est repetita. Cui carmini quum simillimum sit illud de Comgallo (14), non dubito, quin eodem fere tempore fuerit compositum. Est praeterea alphabeticum, quod ignorans librarius Bobiensis »Christum« et »Hymnum« sub carminis finem scripsit pro Xristo et Ymno. Eidem denique aetati carmen quoque de Patricio (13) attribuerim, quod quamquam syllabae extremae sint dissimiles, tamen alphabeticum et ipsum est, sicut illud inter literas K quoque habet eundemque librarii errorem exhibet. Quae carmina si cum Columbani versibus contulerimus, qui artis poeticae haud ignarus fuit, huic aetate propiora esse, quae sunt paulo elegantiora (88. 106. 14.) recentiora vero, quorum incultius est genus (13. 15. 8—12. 2. 3.) conjecerimus. *Patricii ergo hymnum ante VII saeculi finem non esse compositum probabile est.* Huic vero recentior aliquis hunc versum a reliquis longe diversum addidit: »Patricius episcopus | Oret pro nobis omnibus | Ut deleantur protinus | Peccata quae commisimus | Patricii laudes | Semper dicamus | Ut nos cum illo | Semper vivamus.« Pariter Comgalli hymno haec soluta oratione scripta adposita sunt: »Per merita et orationes S. Comgilli Abbatis nostri omnes nos Domine in tua pace custodi.« De martyrum meritis conf. Collect. de Mart. supra. Hibernienses vero VII saeculi martyrum intercessionem invocasse nullum indicium invenimus. Reliqui hymni sunt dogmatici quos vocant. Divina Christi natura et trinitas maxime iis tractata est. De *baptismo* conf. Hym. 2 »Praecepit totum per orbem | Baptizari credulos | Nomen patris invocantes | Confitentes filium | Mystica fide revelat | Tinctos sancto spiritu | Fante tinctos innovatos | filios factos Dei.« De *coena sacra* Hymn. 8 »Pro universis | immolatus Dominus | Ipse sacerdos | exstitit et hostia.« et *Antiph.* 102 »Hoc sacrum corpus Domini et salvatoris sanguinem sumite vobis in vitam perennem. Alleluja.« In Hymnis denique graeca quaedam verba (zoe, zona, agios et cet.), occurrunt.

*Continet igitur codex Bobiensis varia, quae tam ex Benchorensi quodam Antiphonario quam ex Gallicano Rituali transcripta esse videntur,* quin etiam ex Romano sumta videtur oratio de Martyribus 90, quod verbum orationis ipsum indicat. Si addideris, quod de librarii errore ac de libri divisione supra diximus, jam dubium non erit, codicem Bob. neque ante a. 691 scriptum neque integrum ex Hibernia fuisse allatum, sed in *Bobiensi monasterio VIII forte saeculo esse compilatum.*

Alium quoque *codicem Bobiensem,* quem in Bibliotheca ista Ambrosiana inventum Mabillon in Museo Ital. a. 1687 primus edidit, Oconor patriae suae vindicat, cujus levissima argumenta non est, quod repetamus. Jam enim Mabillon Sacramentarium illud Gallicanum esse praeclare demon-

stravit, et ab ecclesia Vesontionensi a Columbano forte ipso adportatum esse opinatus est. Cui lubenter assentientes, id saltem pro certo affirmemus, *ex Trevirorum provincia hoc rituale a Bobiensibus receptum fuisse. Simillimum est enim tam lectionibus quam toto cursu Lectionario Luxoviensi, simplicior verum illo ideoque antiquior.* Longum est plura de his, quippe quae ad Gallorum ritus spectent, dicere, illud vero si compararis cum reliquis ritualibus Gallicanis, unum ex antiquissimis esse, apparet. Codicem autem in Bobiensi monasterio fuisse exaratum quum ex literarum forma, tum ex »missa Romensi«, Sacramentario praeposita, maxime vero ex libro, qui »Judicius« vocatur, sub finem adjecto concludi licet. Secutus autem est librarius illud scribendi genus quod apud Gallos tunc usitatum fuit (b pro p; o pro u; i pro e et cet.). Addita sunt Lectionario Exorcismi et Benedictiones, Orationes vespertinae et matutinae, dein post librum »Judicium« aliae orationes pro poenitentibus, orationum ad Horas explanatio, Symboli partes singulis apostolis adscriptae, Canon scripturae sacrae (44 Veteris Test. libri, 28 N. T. in quorum numero »Sacramentarium« collocatur). Ex his Benedictiones et Orationes simillimae sunt Gallicanarum sed et Romanarum; Orat. vero Collectionibus Bobiensibus (cf. supra) haud dissimiles. Ad nos vero unus ille liber pertinet, qui inscribitur

*Judicius poenitentialis.* Hic similis est libro de Poenitentia, qui Columbano adscribitur. De quo aeque ac de ejusdem Regula pauca praemittamus.

*Columbani Regula* varie in variis codicibus dividitur. Titulus quidem in omnibus idem, eademque prima 6 capitula. Sed cap. VII (de Synaxi) et c. X de perfectione monachi desunt in cod. Sangallensi, cap. X autem in cod. Holsten. capiti IX additum est, quum in hoc c. X ea comprehendat, quibus alius in aliis codd. titulus praepositus est. Inscribitur enim capiti X (cod. Holst.) »de diversitate culparum«, in cod. Oxenhus. autem »S. Col. Regula coenobialis«, in cod. Aug. denique »Reg. fratrum de Hibernia.«

Prima igitur Regulae pars continet 6 capitula, 1. de obedientia, 2. de taciturnitate, 3. de cibo et potu, 4. de cupiditate calcanda, 5. de vanitate calcanda, 6. de castitate. Haec quidem quasi fundamenta sunt. Cap. VIII et IX autem multo prolixius explicantur, quae in 6 primis brevius sunt tractata. Itaque explanationes potius, quam diversae esse regulae videntur. Cap. X denique ut diximus deest in cod. Sang., in cod. Holst. capiti IX adnumeratum est. Haec autem si jure Columbano adscribenda sunt, cap. VII de synaxi a librario insertum est; turbat enim ordinem rerum, ad quas minime pertinet; stilus quoque ab aliis capitulis differt, denique illud, quod incipit »De synaxi ergo« licet nihil de ea ante dictum sit, indicio est, hoc capitulum alicunde, forsitan ex Missali quodam esse sumtum. Num ipsi Columbano sit tribuendum me nescire fateor. Similes autem quae ibidem enumerantur orationes illis, quas in Antiph. Bobiensi invenimus, col-

lectionibus fuisse videntur; quum oratio pro inimicis cum collectione pro blasphemantibus congruat.

Omissa altera parte »de culparum diversitate« quae ad nostra non pertineat, venimus ad *Poenitentiale,* quod eidem Columbano attribuitur, sed quale nunc exstat, dubito quin ab eo fuerit compositum. In hoc enim libro, cui »de Poenitentiarum mensura taxanda« inscribitur, varia ac diversa reperiuntur. 1. »de causis casualibus« c. I—VIII, 2. »de minutis morum inconditorum« IX—XII, 3. de clericis et monachis XIII—XXIV, 4. de Laicis XXV—XXXVII, 5. de minutis monachorum XXXVIII—XLII. Ex his c. IX—XII simillima sunt Columbani libro »de culp. div.« Cap. XXXVIII—XLII autem ad verbum pleraque concinunt cum ejusdem libri conclusione. Quae Poenitentiali librarius imperite inseruit. Cap. I—VIII deinde continet brevissimam poenarum enumerationem, quae partim eadem sunt ac in c. XIII—XXIV, partim leniores. *Hujus autem brevissimi Poenitentialis si Columbanus auctor est, idem alterius* (c. XIII et cet.) *non fuit.* Nemo enim eundem eadem ad verbum fere in eodem libro repetiisse vel pro iisdem diversas poenas peccatis statuisse existimaverit. Tertiam vero illam partem c. XIII—XXIV primitus non partem sed integrum librum fuisse, Poenitentiale quod in Bob. codice exstat, manifeste docet. Copiosior est »Judicius«, qui in 42 partes divisus est, sed ampliora sunt libri alterius 11 capitula. Quaeritur, uter sit antiquior. Gravissimis quidem poenis clericus afficitur, qui vel »ad saeculum reversus fuerit vel uxorem duxerit« (Jud. XXVIII; deest in Poenit.), vel »qui uxorem habuit et post honorem iterum eam cognoverit« (Jud. XII), 12 enim annorum poenitentia iis imponitur, in Jud. XII et XXVIII; in Poenit. autem 7 annorum poenitentia. In Judicio vero c. XXVIII additur »si noluerint, *sancta sedes apostolica* separavit eos a communione sanctorum. De tali vero Romani pontificis auctoritate in Poenitentiali altero nil occurrit. Poenitentiale igitur Judicio antiquius esse videtur. Vetatur dein in Judicio, ne quis invocatione daemonum hominum mentes »tulerit« (XXXIII) ne »quis Kalendis Jan. in cervolo vel vehicolo vaderit« (XXXI), ne quis vota ad arbores et cet. voverit (XXVII), aliaque quae desunt in Poenitentiali. Similia denique sunt c. XXXIX et cet. iis, quae in libro de div. culp. exstant. *Haec igitur duo Poenitentialia in Bobiensi monasterio composita Columbani Poenitentiali nituntur.*

Superest, ut libri *Dimma,* quem inter vetustissimos codices Hibernienses Betham numerat, mentionem faciamus. In hoc enim, qui 4 evangelia vulgatae versionis continet, inter Lucam et Johannem inserta est »*Visitatio infirmorum.*« Quae cum nullo eorum, quos Martene (Ant. ecclesiast. I, 296) collegit, rituum plane convenit, similis tamen est antiquissimo illi, qui Theodulfo Aureliano episcopo adscribitur, maxime vero ritibus Romanis.

# Cap. IX. PATRICIUS.

In summis semper apud Scotos honoribus tres maxime, Patricius, Brigitta, Columba habiti sunt. Quorum Vitas undique congestas in Act. Sanct. Vol. I. Trias Thaum. 1645 Colganus edidit. De *Brigitta* autem et *Columba* disserere neque propositum nobis est hoc loco neque omnino necessarium. Praeter ea enim quae Beda in H. E. IV, 4; V, 10 de Columba retulit, nihil certi exstat. Colganus quidem Columbae Vitae quindecim ante Adamnanum enumerat scriptores, quorum omnes praeter duos perditos esse libros existimat. Horum alter est anonymi cujusdam, Cumiani, ut putat, alter. Quam levia vero essent Colgani argumenta, jam Baertius (Act. Sanct. IX Jun.) docuit. Sunt enim duae potius diversae vitae, quas unius partes Colganus vocat. Quarum prima, quae Cuminei nomen fert, quum locus quem Adamnanus ex Cuminei Vita se sumsisse dicit, in illa non exstet, Cumineo tribuenda non est, altera vero quae neque Cuminei nomen neque locum Adamnani exhibeat, ab alio quodam est scripta. Adamnani potius Vita reliquarum auctores usi esse videntur. At haec ipsa adeo fabulis est obscurata, ut vix credi possit, VII saeculo, quo literae apud Hyienses floruerunt, ejusmodi nugas esse conscriptas. Prologi autem Vitae suspicionem mihi faciunt, quorum titulum »Praefatio Apologiaque Adamnani Abbatis sancti scriptoris« a librario esse praepositum nemo non videt, apologiam vero, quae tam stilo ac sermone quam re aliena sit a Vita ipsa, ficticiam esse, facile apparet. *Brigittae* autem Vitae multo sunt incertiores et recentiores. His praemissis *Patricii vitam* adeamus, qui non tantum istis prior fuit, sed et »primus Hiberniae Apostolus« habetur. Triplex est autem fontium genus, Vitarum primum, Patricii librorum secundum, testimoniorum, quae passim occurrunt tertium.

1. *Patricii Vitae.*

Colganus hasce enumeravit

1. Hymnus Fiechi, Dubtachi discipuli.
2. Vita cujus Patricium juniorem auctorem habet.
3. Vita quam Benigno Patricii disc. adscripsit.
4. Vita a St. Flerano ut putat composita.
5. Vita Probi.
6. Vita a Jocelino compilata.
7. Opus tripartitum, cujus Evinus auctor perhibetur. Has vitas brevitatis studio »Colg. II, III, IV, V, VII« notabimus. Accedunt ad has

9. Patricii Acta, quae Historiae Britonum addita sunt § 50—55.

10. Hymnus Patricii qui in Antiphonario Bob. exstat. Dein ex libro Ardmachano

11. »Dicta Patricii.«
12. Annotationes Tirechani.
13. »Alia serotinis temporibus inventa.
14. Capitula Aidi.
15. Liber Anguli.«

Sed prius de *Libro Ardmachano* dicendum est, quam Vitas adeamus. Illum Betham, qui primus eum publici juris fecit (Antiquarian Researches 1827) juxta Columbae Psalterium et Librum Dimma (conf. supra) antiquissimum esse rerum Hibernicarum monumentum sibi persuasit. Continet autem praeter illa (11—15) Patricii confessionem, dein Testamenti Novi versionem vulgatam adjectis Hieronymi, Hilarii et Pelagii praefationibus (conf. supra), tum Martini Vitam a Sulpicio compositam ejusdemque ad Gallos et Aurelium epistolas, atque orationem quandam. Hunc integrum codicem ab Aidano episcopo Sleptiensi ante a. 698 esse scriptum, Bethamii est sententia, qui argumenta ex Aidi maxime Annotationibus duxit, quae ita incipiunt: »Quam quidem mi domine Aido multi conati sunt ordinare narrationem« et cet. Et hoc ille ita interpretatus est, quasi scriptum fuerit »quamquam mihi domino Aido« et cet. Ideoque Muirchum, qui sub finem dicitur haec dictante Aiduo Sleptiensi episcopo scripsisse, hujus librarium esse suspicatus est. Quum deinde in ejusdem codicis additamento Hibernice scripto Aidus Sleptiensis feratur Segenio Ardmachano »instructiones« misisse rogans, ut eas mutaret, has nihil aliud nisi istas Aidui Adnotationes esse confidenter affirmat. Nescio, quae tanta caligo mentis ejus aciem perstrinxerit, ut ex istis concluserit, Aidum codicem scripsisse. At illa, quae inepte Aidi adnotationes vocantur, praefatio potius cujusdam Vitae et capitula sunt. Praefatio quidem similis est Jocelini prologo, qua scriptor propter difficillimum narrationis opus diversasque opiniones et plurimorum plurimas suspiciones nunquam ad unum certumque historiae tramitem perveniri et cet. queritur. Ex capitulis vero Vitam hanc Colganianis fuisse similem colligi licet.

Addita est autem post Tirechani Adnotationes praeter alia nota quaedam, qua Patricius dicitur in Ardmacham apostolicam urbem contulisse auctoritatem suam; post quam hoc occurrit »Ego scripsi Calvus Perennis in conspectu Briani imperatoris Scotorum.« Hic, si fides habenda est Annalibus IV Mag., a. 1004 Ardmachae fuit, unde eo usque codicem ante a. 1004 exaratum fuisse suspicari licet. Reliqua vero, maxime »*Liber Anguli*« ante XII saeculi finem scripta non sunt. In hoc enim Patricius decrevisse fingitur, *ut quaecumque causae difficiliores ad cathedram Archiepiscopi Hiberniensis referrentur ac si* »*in illa facile sanari non possent*«, *ad sedem apostolicam mitterentur* »*i. e. ad Petri apostoli cathedram, auctoritatem Romae urbis.*« Sed alia quoque quae

Calvi notam praecedunt, hoc saltem manifeste docent, Romanos tunc ritus apud Hibernienses in usu fuisse. In »*Dictis*« enim »ecclesia Scotorum imo Romanorum« vocatur; et post hac »oportet omni hora orationis vox illa laudabilis Curie lession, Christe lession, Deo Gratias cantari.« In *Tirechani* deinde Annotationibus 450 episcopos a Patricio ordinatos esse legimus; tum mentio fit episcoporum Francorum, subdiaconorum et cet. cerialium lucernarum aliarumque rerum, quae Romanam medii aevi superstitionem redolent. *Vita* denique *Patricii* simillima est Colg. V, non tamen plane eadem, quum saepius cum Colg. II ad verbum congruat.

*Inchoatum igitur codicem Ardmachanum sub X saeculi finem XII$^{m}$ autem finitum esse, verisimile est.* Librarii ignorantiae et negligentiae plurima exstant specimina. Illud vero non omittendum esse putavi, quod idem fere scribendi modus, qui apud Gallos, in codice Ardm. invenitur.

| | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| ae | pro | e | aecclesia | h | *praepos.* | | Hisrael | p | pro | b | prespiter |
| e | — | ae | que | | | | habundantia, perhennis | mp | — | m | alumpnus |
| i | — | e | adquessisti | h | *omiss.* | | ymnus, agii | ss | — | s | missit, claussa, |
| ii | — | ī | hii | ch | pro | h, | detrachere | | | | gavissus. |
| i | — | y | prespiter | | | | charissimi | | | | ——— |
| o | — | oe | diocessis | e | — | qu | cotidie | | | | |
| o | — | û | commone | gu | — | g | conjunguere | sexagensimus | | | |
| o | — | ŭ | insola | | | | anguelus et cet. | Hiberione, Hiberionacus | | | |
| u | — | ô | idula | b | — | p | babtizo | Sabul, Zabulus | | | |
| u | — | ŏ | paruchia | b | — | v | proberbium | Soiel (Saul). | | | |
| y | — | e | pylagus | | | | declinabit (perf.) | | | | |

Jam vero ut quando Vitae istae omnes sint compositae cognoscamus, a recentissimis ordiamur.

*Vita illa Colg. VII,* quum non tantum ex reliquis pleraque sumta sed et nova multa sint addita, recentior est ceteris, ideoque XIII saeculo non prior. Est autem narratio in 3 partes seu 322 capita extensa.

*Vita Colg. VI a Jocelino,* Furnesiensi monacho a. 1185 (conf. Uss.) est composita, qui, quum »Vita gloriosi Patricii, Hiberniensium Patroni et episcopi a multis illiteratis multipliciter dictata ob confusionem et obscuritatem stili nec pateret nec placeret, sed haberetur taedio ac contemptui, quae cumque fide digna reperire posset«, collegit. Libri 66 tunc temporis de Patricii miraculis scripti ferebantur, Vitis autem quatuor, quae illius discipulis attribuit, et alio quodam Evini libro Jocelinus in compilanda Vita quae ex 196 cap. consistit usus est. Ante hanc scripta est

*Vita Colg. V,* quae quum *Probi* ad Paulinum epilogo concludat, illi attribuitur. Est autem in duos libros divisa, quorum prior res a captivitate ad Hiberniensium conversionem cap. 1—47, miracula alter c. 1—40 continet. Auctor tam ex Colg. II (16. 18. 21—25) quam ex Colg. III (12—14, 18—25) capita 1—25 compilavit, sed et alia multa, partim repugnantia operi suo

intexuit. Ad caput enim undecimum Colg. III secutus quamquam jam duas Patricii captivitates retulit tamen cap. 12 Armoricam ejus patriam vocat et Milcho regi eum venditum esse putat, quod ad cap. 2 pertinet. Hanc quidem Gallicam esse narrationem ex eo quoque colligo, quod a Deo Patricio promissum esse fingitur, ut *Scotiam atque Britanniam Angliam et Normanniam, ceterasque insularum gentes baptizaret.* Auctor denique Scotus non fuisse videtur, si quidem Colg. V mirac. 13, »notum est« ait »omnibus Hiberniorum gentibus«, Tirechanus vero »scimus« (conf. Notas libri Ardm. »quas Constans in Gallia invenit«). Addidit denique scriptor, id quod ex Colg. II, III non sumsit, Patricium primo ab Hiberniensibus spretum petiisse a Deo, ut *ad Sedem Sanctae Romanae ecclesiae se perduceret, ut »accepta auctoritate* praedicandi«, illos converteret. Simile est illud »venit *ad caput omnium ecclesiarum Romam, ibique benedictione* apostolica accepta reversus est« (I, 20). *Hanc igitur Vitam medio fere XII saeculo, Malachiae temporibus* Scotis a Gallis esse suppeditatam vel ab ipso Roma reverso allatam, a vero non abhorret. Ejusdem fere generis aetatisque est

*Vita Colg. IV,* quae ad Colg. II proxime accedit (c. 1—49) sed cap. 29 additum habet »misit Germanus Patricium Romam, ut *cum apostolicae sedis* episcopi licentia ad praedicandum iret; sic enim ordo exigebat.« Cap. 50—94 de miraculis ex Colg. III partim hausta sunt.

Vita deinde *Colgan. III* in qua Patricium legimus corpus Christi obtulisse et gloriam apud Coelestinum invenisse aliaque hujus generis, supra dictis non multo antiquior esse videtur. Continet autem 1. c. 1—11 ex Vita Colg. II transcripta et huic libro inepte praeposita, 2. c. 12—30 captivitatem et peregrinationem, 3. c. 31—49 Hiberniensium conversionem, 4. c. 50—84 miracula, 5. c. 85—94 Vitae finem.

*Vita Colg. II* denique reliquis est simplicior ac brevior ideoque antiquior. Haec in 3 dividitur partes, 1. de Patricii pueritia c. 1—10, 2. captivitas et cet. c. 11—26, 3. quae in Hibernia peregit c. 27—41. Primam partem Colg. III et V scriptores ignorasse videntur, unde suspicari licet, in quibusdam codicibus illam defuisse.

Quae duae Vitae ut quo tempore sint compositae, cognoscamus, cum iis conferendae sunt, quae in

*Historia Britonum de Patricio* tradita sunt. Huic enim ante X saeculi finem, non tamen ante medium IX saec. adjecta sunt (conf. supra). Quae ex Vita Probi Colg. V excerpta esse usque ad hodiernum diem omnes temere asseruerunt, ignari sane conclusionis, quae inde ducenda foret, Scotos jam IX saeculo (quo Historiae Brit. auctor ipse ista de Patricio scripsisse vulgo creditur) Romanis episcopis paruisse, Normannorum regnum in Gallia constitutum fuisse, aliaque, quae historiae plane repugnant. Qui-

cunque vero Historiam Britonum cum Colganianis Vitis diligentius comparaverit, eam non cum Vita Colg. V, sed cum Colg. II maxime, rarius cum Colg. III congruere facile videbit. Operae igitur pretium nos facturos esse duximus, si haec paulo prolixius tractaverimus. Omissis autem, quae ex Colg. II et III recepta sunt in Colg. V, hunc unum locum Vita Colg. V cap. 25 habet, qui deest in reliquis »omissisque omnibus ambulandi anfractibus« (cum omni velocitate prospero fluctu mare nostrum in nomine S. Trinitatis adiit.« haec et Colg. II, 26.) conf. H.B. § 52 c. LVIII. Conferenda autem sunt H.B. § 50, de nomine Milchu Colg. II, 12 (deest nomen Colg. V, 2) — 17 annorum eum fuisse, secundum reliquos 16. (II autem 16 vel 7.) — »nutu Dei eruditus in sacris literis« Colg. II, 14. 22. apud Germanum fuit 30 annos — »Romam perrexit« deest in Colg. II, 23, exstat III, 22; sed nusquam 7 annos Romae mansisse traditur. — de Palladio misso II, 23. 24. — Illud Prosperi mutatum in »Scotos in Christum convertendos«; ad Colg. II, 23 »sed prohibuit eum Deus« in H. B. additum est »per quasdam tempestates« — H. B. § 51. de Patricio misso Colg. II, 23—26 et III, 25. — ab »Amatheo rege et a S. episcopo« ex II, 26 »summo episcopo Amatho rege« parum accurate sumtum. H. B. § 52. Colg. II, 26—28. Quae § 54 de miraculis sequuntur breviora sunt, quam ut fontes possint cognosci. De episcoporum et ecclesiarum numero in Colg. II et III nihil occurrit. Sed reliqua ex Colg. III sumta esse apparent. Ex Colg. III, 49 enim 12000 homines uno die esse baptizatos, ex III, 85 autem sumtum est, Patricium quum pro populo oratum in Egli montem ascendisset, primo avibus nigris dein angelorum choro fuisse circumdatum. In H. B. aves multi coloris sanctos significare, in Colg. V Mir. 19. 20 verum primo aves, dein sanctos advenisse traditur. Antiquior esse narratione H.B. Colg. III narratio, recentior Colg. V videtur. Petitiones dein hae sunt:

| Colg. III, 85. | H. B. § 54. | Colg. V Mir. 20. |
| --- | --- | --- |
| 1. Ut omnes habitatores hujus insulae si quis ex ipsis ultimam poenitentiam egerit, infernus non claudatur super eum. | 1. Ut susciperet unusquisque poenitentiam, licet in extremo vitae suae statu. | 1. Ut unusquisque homo fidelis Hiberniorum per poenitentiam et confessionem Deo satisfaciens licet in extremo vitae suae spatio ab ipso clementer susciperetur. |
| 2. ut alienigenae seu barbari hanc insulam non habitent usque ad diem judicii. | 2. ut ne a barbaris consumentur in aeternum. | 2. ne barbari irruptiones in eos facientes dominentur eis. |
| 3. ut 4 annis ante diem judicii istam insulam mare cooperiat. | 3. ut non supervixerit aliquis Hiberniensis in adventu judicii quia delebuntur pro honore Patricii 7 annis ante judicium. | 3. ne aliquis Hiberniorum supervivat in hac vita usque ad diem judicii quia delebuntur omnia aequora quatuor annos ante diem judicii. |

Ex his petitionibus quo tempore Colg. III et H. B. § 50—55 fuerint scripta cognosci licet. Dani quidem paulo ante IX saeculi initium Hiberniam invadere coeperunt, qui quum per 30 fere annos insulae partem occupassent, a. 848 victi licet incursiones facere non desisterent, tamen oras tantum adiisse videntur. Postea vero, civilibus inter Scotos bellis exorsis, X saeculi initio Dani reversi majorem sibi insulae partem subjecerunt. Quid quod Anlaf Norwegensis, Hiberniae rex vocatus, vel cum Athelstano Anglorum rege a. 938 bellum fecit. Hibernienses autem a Danis oppressi pugna demum a. 1014 ad Clontarf facta jugum abjecerunt.

*X igitur saeculi altero dimidio, quum omnis spes salutis evanesceret, quum alii quoque populi adesse mundi finem crederent, petitiones istas fictas esse veri simillimum est. Eodemque X saeculo nescio an Vita Patricii quae exstat antiquissima (Colg. II) confecta fuerit.* Cujus auctor *a quibus fontibus* hauserit, jam explicandum est.

Vitae quidem illius prima pars de Patricii pueritia (cap. 1—10) nihil continet, nisi miracula, quae ex eodem ac omnes hujus generis fabulae fonte fluxerunt. Alteram vero partem ex Patricii, quem c. 4 et 11 auctorem citat, Confessione seu libro Epistolarum et ex Prosperi Chronico compilavit. His quum alia pauca tum id adjecit, Patricium 30 annos cum Germano fuisse et ab Amatho ordinatum. Tertiam denique partem, quum de his, quae peregisset in Hibernia Patricius, paucissima in »libro epistolarum« reperisset, ex iis quae tum de Patricio traderentur, composuit. Ea verum ipsa ex duobus potissimum fontibus profluxerunt, historia nempe sacra et Druidum doctrina atque fabulis.

Patricii igitur vitae lineamenta quasi et colores illustrium Veteris Testamenti virorum suppeditarunt exempla. Itaque ille captivus regi somnium interpretatur, ut Joseph quondam Pharaoni. Dein ab Amatheo, altero Melchisedec, ordinatur. Sed ad Mosis maxime similitudinem Patricii imago expressa est. Similis huic fuit cum rege et magis contentio, miraculorum certamen atque victoria.

Mosis instar et hic sub vitae finem montem ut populum benediceret, ascendit. At hic ipse paene magi partem suscipit, siquidem quatuor circa se a 4 mundi partibus collocatis lapidibus, super saxo sedisse et aves nigras, ipsum circumvolantes, percusso cymbalo fugasse fertur (Colg. III, 85). Eo enim tempore Druidica sacra cum Christianis misceri coepta erant quod vel ex 3 petitionibus, ad mundi interitum spectantibus, cognosci licet. Cujus rei quamdiu floruerunt apud Scotos literae atque ecclesiae, indicium nullum exstat. Sed de his hoc loco non plura dicamus.

Patricius igitur X saeculo plane Mosis personam suscepisse fingitur. Certamine illius cum magis verae cum falsa religione contentio depicta est.

Is primum festivitatis loco, quae veris initio in sacri ignis honorem celebrari solebat (Beltine) Pascham instituit, dein per totam insulam quasi triumphum egit. His recentiores quum alia multa addebant ex Mosis vita, tum ad hujus vitam aetatem illius metientes, tres maxime 40 quamque annorum partes statuerunt.

Antiquiora dein quaedam carmina jam auctor Vitae Colg. II intexuit, ut vaticinium istud, Patricium »ab omnibus honoraturum | Regna subversurum | Resistentes turbas seducturum | Omnes eorum Deos destructurum.« Tum illud de Loigari filiarum conversione traditum, quae ita eum interrogasse feruntur: »In aequore | In fluminibus | In montanis | In convallibus | Dic nobis notitiam ejus | Quomodo videbitur | quomodo delegitur | quomodo invenitur | Si in juventute | Si in senectute | invenitur.«

Quibus Patricius respondit: »Deus noster | Omnium hominum | Deus coeli ac terrae | Maris et fluminum | Deus solis ac lunae, | Omnium siderum | Deus montium sublimium | Valliumque humilium« et cet. Illae vero conversae et baptizatae, quum sponsum coelestem videre vellent, sumto sacramento defunctae inveniuntur.

*Fabulis autem adnumeranda sunt vel ea quae de Patricii aetate traduntur ac prorsus omnes, qui subducti sunt calculi.* Est autem maxime illa Triadum ratio. 30 enim annos natus Patricius ad Germanum venit, 30 a. ibi manet, 60 a. praedicat Evangelium, 3 dies noctesque temptatur, 30 dies ac noctes jejunat (conf. Colg. II et III) 3 primo episcopi ordinantur. 9 mortuis (H. B., sed Joc. 33 Offic. Patr. 60) vitam reddit; 3000 presbyteros (H. B.; Joc. 5000) ordinat, 12000 homines baptizat. Astronomici deinde numeri sunt: 365 episcopos (Tirech. 450) ordinat, 365 ecclesias (Joc. 700) condit, 365 abegatoria scribit. 7 annorum fuit quando captus, 7 annos in captivitate, 7 annos Romae, 7 annos ante mundi interitum Hibernia delebitur. Stomachum profecto facit illud, quod talibus calculis nisi vitae Patricii vel nostra aetate rationem conficere student non pauci.

*Ficta denique sunt itinera Patricii.* Ex Patr. Confessione concludi poterat, eum in Gallia fuisse, unde 4 vel 5 saeculis post auctor vitae Colg. II Germano eum praeceptore usum esse conclusit, cui Colg. III et Martinum adjunxit, alii dein alios quoque. Quum autem a Prospero esset traditum Palladium a pontifice Romano esse missum, idem de Patricio quoque dicendum esse scriptor ille Colg. II suspicatus est. At hoc fieri non potuisse nisi Romae tum fuisset, illius, qui H. B. § 50—55 conscripsit, opinio fuit. Reliqui denique scriptores non dubitarunt, quin, ut apostolicam benedictionem acciperet, a Germano Romam missus sit. *De nomine quoque Patricii* inter omnes non constitisse videtur. Quatuor enim nominibus Suecat, Cothrag, Magon, Patric. variis eum temporibus appellatum fuisse referunt. Haec de Patricii Vitis, quibus »*Hymnus*« *ille, qui Fiecho perperam tribuitur,*

adnumerandus est. Cujus initium »ut refertur in narrationibus« jam Bollandistis suspicionem fecit. Narrationes autem istas Vitas Colg. II, III et Tirechani Adnotationes esse, quicunque eas contulerit facile videbit. Multa quoque carmine sunt exaggerata, quae enumerare longum est. *Scriptum est carmen lingua Hibernica X vel XI saeculo,* quum itineris Romam facti mentio in illo non facta sit. *Ex Vitis igitur istis de Patricio prorsus nihil experti sumus nisi quae inde a X fere saeculo ficta sunt.* Sed antiquior his et simplicior est

*Hymnus* alter ille qui exstat in codice Bobiensi, supra memorato. Titulus »Hymnum S. Patritii magistri Scotorum« a librario praepositus esse videtur, in carmine enim ipso »Patricius episcopus« scribitur. Laudibus quidem virtutes ejus efferuntur, nihil tamen de vita ejus traditur, nisi vers. 4. »Dominus illum elegit | ut doceret barbaras gentes.« v. 7. »ab omnibus ut Dei | veneratur angelus.« v. 13. »Nomen Dei audenter | adnuntiat gentibus.« v. 16. »ut in coelesti moneret | clericos militia.« v. 19. »Testis domini fidelis | in lege catholica.« *Hoc carmen VIII fere saeculo esse compositum, supra docuimus.*

His vero explicatis transeamus ad

*Patricii scripta,* quae *Confessio* et *Epistola* in codicibus, sed Liber Epistolarum in Vitis (II, 4, 11, IV, 4) vocantur. Exstant in 3 codicibus, Nero E, 1. (Brit. Mus.) X vel XI saeculo scripto, libro Ardmach. (XII vel XIII saec.) et cod. Salisb. his recentiori. Cod. Ner. F Oconor transcripsit (R. H. I.) sed parum accurate.

*Confessio Patricii* qualis in libro Ardm. exstat antiquior illa, quae in Nero E invenitur, esse videtur, non tamen correctior. Librarii enim ignorantiae ac negligentiae quum alia quam plurima occurrunt specimina, tum illud, quod omisit pauca, quae omittere nullo modo debebat (conf. de accusatione illius et defensione apud Oconorium et Bethamium). Addita autem esse videntur in Cod. Nero F, quae de Scota virgine, quaeque de itinere in Galliam facto traduntur, admonitio denique ad eos »qui solem adorarent.« Quae omnia desunt in Libro Ardm. A recentioribus autem librariis alia emendata sunt, addita alia multa (conf. Ware Op. Patr.). Quibus omissis ea tantum, *quae in duobus antiquissimis codd. Nero E,* 1 *et Ardm. inveniuntur, indagabimus.*

Hujus libri sermo ac stilus adeo est incultus, impeditus, corruptus, ut ab aliquo linguae latinae parum perito aut compositus esse aut latine versus appareat. Sed haec ipsa sermonis vilitas, narrationis simplicitas, scriptoris dein, quae esse videtur, humilitas plerosque induxit, ut illum verum ac germanum Patricii librum esse opinarentur. Non tamen defuerunt, qui puerile illud monachi XI vel XII saeculi esse exercitium judicarent (Ledwich Antiq. of Irel. c. VII a. 1790). At ne iis, quae ex scriptoris indole ducuntur

argumenta, nitamur vetant »Dicta Patricii« (Lib. Ard.): »Timorem Dei habui ducem itineris mei per Galliam atque Italiam et cet. deo gratias« (conf. supra). Quod Confessionem ipsam attinet, de *introductione primo atque conclusione* inquiramus. His ibi nomen ac genus et patriam verbis indicat »Ego Patricius peccator rusticissimus .... patrem Calpurnium diaconum, avum Potitum presbyterum habui qui fuit in vico Bonaven Taberniae.« Errat Usserius, qui hunc locum esse Kil Patrick (inter Dunbritoniam et Glascoviam situm) putavit. Illam enim partem, in qua hodie Kil Patrick est, tunc ad Pictorum fines pertinuisse ex Beda I, 1 (»Est sinus maris permaximus (hodie Firth of Clyde) qui antiquitus gentem Britonum a Pictis secernebat«) cognosci licet. Prope Avon fluvium in Lanarcia potius Bonavon situm fuisse, credibile est. At quum Patricius natus esse putetur a. 372, avum ejus ante medium IV saeculum ibi vixisse sequitur, quo tempore Pictos scimus non solum Albaniam australem tenuisse, sed et Londinium usque penetrasse. Sed pluris est, *quod Patricii pater diaconus fuisse traditur, avus autem presbyter,* quodque seniorum mentio fit. Unde sequitur, in ista regione, a Pictis subjecta, non solum nonnullos christianae fidei fuisse addictos sed et gradus ecclesiasticos episcoporum, presbyterorum, diaconorum institutos idque ante medium IV saeculum, dein penes seniores summam fuisse (conf. Nero E, 1) eisque non Albaniae tantum episcopos, sed et Hiberniae paruisse. Sequitur quoque, ecclesiam istam simillimam Hiensi plus quam 200 annis ante hanc in Albania constitutam fuisse. At si ita se res habet, Pictos religioni christianae IV saeculo non offecisse, necessario concludendum est. Quod prorsus repugnat iis, quae de Ninya, primo Australium Pictorum apostolo Beda accepit. Accedit, quod non tantum Bedae, qui Ninyae mentionem facit, nihil omnino de tali ecclesia traditum fuit, sed et nusquam de vetusta Albanica ecclesia quidquam fama est perhibitum.

Haec de introductione. *Conclusio* haec est: »Sed precor credentibus et timentibus Deum quicunque dignatus fuerit inspicere vel recipere hanc scripturam, quam Patricius peccator indoctus scilicet, Hiberione conscripsit, ut nemo unquam dicat, quod mea ignorantia si quid pusillum ego vel demonstraverim secundum [»Dei placitum.« Nero]. Sed arbitramini et verissime credatur, quod donum Dei fuisset. Et haec est confessio mea antequam moriar. Huc usque volumen quod Patricius manu conscripsit sua. XVII Martii die translatus est Patricius ad coelos.«

*Initium igitur Confessionis et finem ficticium esse, quis non videt?* Haec vero, ut saepe alias, librarii esse additamenta, facile nobis persuaderemus, *nisi alia quoque apta ad suspicionem faciendam in narratione ipsa exstarent.* Omitto illud, quod »in die una usque ad 100 orationes et in nocte prope similiter« in frigore ac gelu, dum pasceret

greges se fecisse tradit. At ubinam est desertum istud, ad quod triduo post relictam Hiberniam cum nautis appulit, perque quod 28 dies iter cum fecissent, fame orta invocanti Deum Patricio porcorum grex se obtulit? Verum hoc quod iterum captus iterum 28 dies desertum peragraverit, prorsus admirandum est. Neque de multis, quae enumerantur visionibus vel responsis dĭvinis quidquam dicam, at illa rara admodum ac mirabilis visio est, qua, navem ipsi paratam esse, certior factus ignarus locorum et hominum, ad praedictum locum ducenta millia passuum distantem pervenit, monstruosa vero alia. »Virum enim, ait, venientem quasi de Hiberione, *cui nomen* Victoricus, cum epistolis innumerabilibus vidi, et dedit mihi unam et legi principium epistolae continentem Vox Hiberionacum. Et dum recitabam principium epistolae putabam enim ipse in mente audire vocem ipsorum, qui erant juxta sylvam Focluti, quae est prope mare occidentale. Et sic exclamaverunt, rogamus te sancte puer ut venias et cet.«

Quae visio aeque ac ea, quae sequuntur, non possunt non in mentem nobis revocare Act. Apost. 16, 9; II Cor. 12, 2; Rom. 8, 26. Nec praetereundum est, quod quum Dominum ipsum »quasi intra corpus« suum orantem videret, hanc orationis conclusionem audivit »ut sit episcopus.« Perobscurus deinde est locus, quo »tot millia hominum« se baptizasse dicit. Quaeritur enim, utrum Gallos ibi an Hibernienses intelligat. »Deus«, denique ait »mihi tantam gratiam donavit, ut *populi multi* per me in Deum renascerentur. Et ut *clerici* ubique illis ordinarentur.«

Haec et alia similia quum suspicionem necessario moverent, ficticiam Confessionem esse declararunt alii, alii, ne totam rejicerent, librariis assignarunt, quae suspecta essent, quae vero ipsis quadrarent, retinuerunt. *At vereor ne hoc modo narratio licet probabilior, non tamen verior sit reddita.* Quum enim idem sit totius libri sonus ac stilus, nisi forte ex arbitrio potius quam ex rebus ipsis argumenta mavis adsumere, Patricio alia alia librariis adscribere non licet. *Confessio igitur, qualis nunc exstat aut tota est a Patricio scripta, aut ficta. Sin a recentiore est composita, quaeritur primo* num fontes vetusti in illa detegi possint. Antiquiores quidem illa Vitae quum neque ad nos pervenerint, neque omnino exstitisse ex libro ipso jure concludatur, fama scriptori materiam suppeditavit, Britonem scilicet quendam a Scotis captum posthac visionibus admonitum Scotis occidentalibus Evangelium praedicasse et quum ob delictum quoddam indignus episcopatu haberetur, tam divinae visionis testimonio quam rebus a se peractis sese defendisse. Quae cur in dubium vocemus, causa non est. Quodcunque enim detrectandae potius quam augendae Sanctorum gloriae fuerit, in falsis Vitis nusquam sane inveneris. Una tantum narrationis pars aliunde sumta esse mihi videtur, *explanatio* nempe quaedam Symboli Nicaeni, quae praefationi imprudenter inserta est. Num haec

Patricio adscribenda sit et quondam Confessio Patricii fuerit vocata, num ejusdem dicta quaedam per manus tradita fuerint, an forte epistola quaedam, qua refutarit quispiam seniorum accusationes, hujus libri quasi fundamentum exstiterit, an ex his omnibus ille fuerit compilatus: difficillime dijudicetur, *quum consilium auctoris quicumque fuit, ipsum perobscurum sit.* Patricius enim ipse si senioribus de accusatione quadam hoc libro se purgare voluit, cur tot, quae ad rem minime pertinent, narrat? Sin ad Hibernienses scripsit, cur latine? Sin vitam suam conscribere sibi proposuit, eum de itineribus, ecclesiis conditis, de episcopis constitutis, de regibus ac populis, quos ad fidem adduxisset narraturum quaedam fuisse exspectares. Attamen hoc ejus consilium fuisse videtur. Relata enim captivitate sua et conversione se tacere Dei beneficia nolle, sed »confiteri« ait »mirabilia ejus coram omni natione.« Dein Symbolo imprudenter inserto sic pergit »quapropter olim cogitavi scribere sed et usque nunc haesitavi.« Tum nihil potius habet, quam ut imperitiam suam excuset, quippe qui, quae adolescens non didicerit, jam senex adpetat. Sequitur captivitatis narratio, eademque iisdem fere verbis relata quasi altera. Sed maxime in visionibus enumerandis versatur. Adde quod ecclesiae Albanicae status, ut supra vidimus, illius aetatis historiae plane repugnat jamque utrum majorem liber exhibeat rerum temporumque inscitiam an animi egestatem haud facile discernas. Quid multa? *Si vere Patricius Confessionem scripsit »indoctus« profecto ac »rusticissimus fuit« nec omnino ille, quem summis posteri laudibus extollebant. Sin falsa est, non solum ficta est, sed etiam imperite absurdeque ficta.*

2. *Epistola ad Coroticum.* Deest autem titulus in codice Nero E, 1. ubi sic scriptum est »Explicit liber I, incipit liber II.« Corotici militibus quum has literas regi afferendas tradidisset, ipsi irrisisse eos auctor refert. Itaque sub finem »si quis« ait »famulus Dei gerulus sit harum literarum, ut neutiquam subtrahatur a nemine, sed coram omni populo et Corotico legat.« Dein »si rediderint captivos sanos futuros esse hic et in aeternum.« A Corotici enim militibus Christianorum alios »postera die, qua chrismati neophyti in veste candida flagrarent«, trucidatos, alios ab ipso Corotico genti externae maxime Pictis et Scotis venditos esse refert. In captivorum autem numero epistolarum auctor ipse fuisse videtur. Dicit enim se in Scotorum Pictorumque manus esse traditum. Similiter »quasi extranei« ait »facti sumus.«

Literarum initium hoc est: »Patricius peccator indoctus scilicet Hiberione constitutum episcopum me esse fateor.« Non tamen diacono sed decurione se natum esse patre et vendita nobilitate sua inter barbaras gentes proselytam ac profugum habitare refert. Quod a Confessione, cum qua in aliis rebus Epistola convenit, paululum differt. Est quoque oratio minus

obscura. A Patricio vero Epistolam esse scriptam, tam ex titulo plerique concludunt, quam ex aliis, maxime duobus argumentis. Quum enim Romanorum Gallorumque Christianorum consuetudo, redimendi a Francis ceterisque gentibus captivos memoretur, opinio est, id ad illud tempus, quod conversionem eorum 420 antecessit, spectare. Quo argumento quum Franci neque ante finem V saeculi conversi essent, neque VI vel VII a pristina ferocitate abscessissent, nihil demonstratur. Pluris est, quod V maxime saeculo Franci cum Gallis et Romanis bella gesserunt. Alterum hoc affertur argumentum, quod auctor Corotici milites »non cives suos neque cives sanctorum Romanorum sed Daemonum« appellat. At ex »sanctorum Romanorum« nomine epistolam eodem potius tempore, quo Historia Britonum, scriptam esse, concludendum fuerit.

Sed maximi momenti est illud, quod Picti Scotique apostatae vocantur. His Columbam primum Evangelium praedicare coepisse, sub VI saeculi finem quum neminem fugerit, Epistolam ante hoc tempus non scriptam esse manifestum est. Quaeritur dein quae sit »gens extera, Deum ignorans«, cui sicuti Scotis Pictisque Hibernienses venditi sint? Saxonum gentem eam non esse, luce clarius est. At Danos sub VIII saeculi finem Hiberniae et Britanniae oras incursisse ex Annalibus antiquis est notum (conf. Ann. Cambr. ad a. 795). Eodem tempore Caratauc, rex Guenedote vixit. Is vero num idem sit atque Corotic ille, eo magis dubitandum est, quum non tantum nomen illud usitatissimum fuerit in Cambria, sed et Cambrenses IX saeculi demum initio foedus cum Danis iniisse videntur. Huic igitur tempori epistola convenit, Confessio autem, sive ab eodem sive ab alio fuerit scripta, eodem fere tempore composita est. Simillima est enim utraque stilo ac sermone; *in locis dein ex Scriptura sacra adductis maxima consonantia.* In Confessione enim 15 loci ex Vetere Test. sumti, quorum 6 (Jesaj. 32, 4; 49, 6. Jer. 16, 19. Ez. 9, 8 [Zeph. 3, 8?] Prov. 15, 20; Ecclesiastic. 4, 29) cum LXX, 3 cum Itala, 5 cum Itala iidemque cum Vulgata congruunt. In Epistola autem 8 loci V. T. secundum LXX et Italam sunt adducti. Novi vero Test. loci tam in Conf. (17) quam in Epist. (pariter 17) cum Vulgata fere concinunt. Errat igitur tam Waraeus, qui locos omnes ex LXX, quam Oconor, qui ex Vulgata sumtos esse putat. Noni vero saeculi initio Scotos LXX et Vulgata N. T. usos esse, ex Claudii et Sedulii scriptis scimus. At quum Confessionis vel Epistolae auctorem indoctissimum ex LXX locos latine vertisse vix quisquam crediderit, illum versione latina, a Scotis sane ipsis, quia differt saepissime a reliquis, composita usum fuisse concludimus. Illud denique nemini non elucebit, scribendi genere libros, de quibus quaestio est, aut antequam floruerint in Hibernia literae aut post esse scriptos. At quum Epistola ad Cor. ante VI saeculi finem scripta non fuerit (conf. supra), attribuenda erit IX fere

medio saeculo, quo devastantibus Danis insulam, literarum studium evanuit. Jam vero ***si haec, quae Patricii scripta perhibentur, IX saeculo sunt composita,*** ut certum aliquid de illo cognoscamus, afferenda sunt

## *Veterum scriptorum de Patricio testimonia.*

Ex his antiquissimum est quod in ***Cumiani epistola*** exstat. Ante hunc vero alium Cumianum Oconor testem laudat quem a. 596 Columbae Vitam, de qua supra diximus, scripsisse asserit. Ibi hunc locum exstare affirmat: »Patricius namque primus Hiberniae apostolus avum proavumque (Columbae) et cet. benedixit.« Quem locum neque in Actis Sanct. Bened. neque in Actis Boll., Jun. VII, 25 reperi, sed hoc tantum, Patricium »Colmani natum praedixisse.« At quum Vita ista neque tam antiqua neque Cumiano adscribenda sit (conf. supra et Act. S. ib.) rejiciendum est hoc testimonium.

***Cumiani*** vero Epistola de cyclorum Paschalium computatione ad Segienum Abbatem Hyiensem (ab a. 623—654) scripta esse videtur. Eum cum Cumineo ejusdem monasterii praeposito (657—669) eundem esse, opinio est. Quod valde dubito, quum ille Romanum ritum epistolis recommendarit, quem Hyienses a. demum 716 monente Egberto receperunt. Unde simul intelligimus, Epistolam ante hunc annum esse scriptam, quae et Scripturae sacrae versione quam illa exhibet, fulcitur sententia. Nam ex 20 fere locis unus tantum cum Vulgata, cum Itala alii, alii cum Graeco textu conveniunt. Est praeterea Epistola eruditionis ac doctrinae luculentum specimen.

In hac igitur, ut convinceret Hyienses erroris, aliorum enumerans cyclos Paschales »primum illum« ait »quem S. Patricius papa noster tulit et facit« (vel »fecit« ut Usserius suspicatur).

Exstat autem Epistola illa in codice Cott. Vit. A, XII (conf. Usser. Sylloge XI) quem, quum simillimus sit literis aliis X et XI saeculi codicibus (maxime Harleiano conf. supra), hoc fere tempore scriptum esse putaverim.

At si vere Patricius observationem Paschae Romanam instituit, quomodo factum est, ut tam Hibernienses quam Hyienses VI et VII saeculo diversum a Romano sed eundem ac Britones Paschae calculum et ritum secuti sint, ut dein Cumianus ipse a legatis demum ob hanc rem Romam missis edoctus Romanum usum receperit, ut denique in synodo ista Streaneshalchiae habita a. 664, subtilissimis Scotorum adversarii argumentis sint usi, quum una Patricii auctoritate eos facile confutaverint?

Accedit, quod verba ista ita sonant, quasi Patricius Cumiani aetate vixerit. ***Tantae igitur sunt difficultates, ut locus ille valde dubius, ne dicam fictus esse appareat.*** A librariis enim tales notae quum saepe alias, tum in scriptis quae huc pertinent, insertae sunt.

In ***Fursei*** enim ***Vita***, quam Oconor imprudenter adduxit, qualis apud

Bedam (III, 19) exstat, Patricii mentio nulla fit, sed in versione ejus Saxonica, X fere saeculo scripta. Similiter in *secunda Columbae,* quam Adamnanus scripsit (679—704) *Vitae praefatione* »quidam proselytus Brito S. Patricii discipulus« memoratur. Praefationem vero istam, quicunque cum prima et libro ipso contulerit, ficticiam esse facile cognoscet.

His aliud testimonium adjungendum est, quod ex *Gertrudis Vita* ab aequali, ut putant, sub VII saeculi finem scripta adducitur (conf. Acta Ben. II, 467). Monachus enim qui morti illius se adfuisse dicit, eam cum »dies assumtionis ejus appropinquaret, misisse fratrem quendam, qui ab Ultano peregrino in Fossuensi monasterio, quando ipso »migratura esset de hac luce, percontaretur. Cui Ultanus »Hodie XVI Kal. Apr. est dies, crastino autem die inter Missarum sollemnia et cet. illa Virgo Chr. de corpore migratura est. Et dic illi, ut non timeat... quia B. *Patricius Episc.* cum electis angelis Dei et cum ingenti gloria parati sunt, eam recipere.« Haec ille, quibus addit inter alia hujus modi, se defuncta Virgine suavissimum odorem sensisse.

Inter *Alcuini* quoque Carmina (ed. Ratisb. 1777; II, pag. 219) vel »Inscriptiones locorum sacrorum« c. 145 haec occurrit, »*ad aram SS. Patritii et aliorum Scotorum:*

»Patritius Cheranus Scotorum gloria gentis
Atque Columbanus Comgallus Adamnanus atque
Praeclari patres morum vitaeque magistri
Hic precibus pietas horum nos adjuvet omnes.«

Quae si recte Alcuino tribuuntur, sub VIII saeculi finem in Sanctorum Scotorum numero Patricius habitus est. At idem Alcuinus neque in Epist. 221 ad Fratres Hibern. neque alias Patricii mentionem facit.

*Heiricus* deinde Autissiod. in Vita Germani c. 876 scripta, »Patricium Hiberniae peculiarem apostolum« vocat.

In *Romano* denique *Martyrologio* ad Martium XVII scriptum est: »In Hibernia natalis s. Patricii episcopi et confessoris, qui primus ibidem Christum evangelizavit et maximis miraculis et virtutibus claruit.« Quae quando in Martyrologium illud, quando in alia notae similes fuerint receptae plane ignoramus. Testimoniis igitur neque his uti licet.

Ex tribus igitur quae IX saeculo priora habentur testimonia, quum duo ista VII saeculo adscripta dubia sint, ne dicam ficta, *certa de Patricio neque testimonia exstant, neque scripta Bedae temporibus antiquiora.* Sed jam antea, quam haec diligentius fuerunt indagata, ex eo quod neque apud Augustinum, neque apud Platinam Celestii vitae scriptorem de Patricio quidquam occurrat, *Ryves* a. 1618, Patricium conclusit, non V saeculo sed postea vixisse (conf. Ware Script. ed. Harris 340). *Maurice* vero (a. 1700) cui aniles istae, quae in Vitis exstant fabulae,

suspicionem moverint, Patricium Arvernensem in Calendario ex XVI^mo^ Martio in XVII^mum^ esse translatum, vel Patricium Hispaniensem in somniis apparuisse Hiberniensibus, facetius quam verius dixit (conf. Maurice Defence of Episcop. 1700). Sed hoc non plane praetereundum est, quod quinque Patricii a variis ad Mart. XVI et XVII enumerantur, Avernensis nempe (Mart. Rom.) et Malacensis (Luitprando auctore) Mart. XVI; Hiberniensis autem et Nolensis atque P. de Patriciis Mart. XVII, alius denique Prusensis April. XXVIII. At jam Savaro quum nullum Patricii apud Avernos esset vestigium, Avern. pro Hivern. quosdam scripsisse, et quum in Vigiliarum cursum, quae nocte ante Mart. XVII inceptae essent, diem XVI invenirent (conf. Tigernach. ad 493, qui et ipse ad Mart. XVI Patriciam adnotat), eos diversos habuisse putavit. Desunt deinde in Mart. Rom. Nolensis et de Patriciis. Prusensis denique in orientalibus tantum ecclesiis notus fuit. A vero ergo plane abhorret, Hibernienses Patricium suum, qui jam IX saeculo »peculiaris Hib. apostolus« vocatus est, ex ignotis istis, qui multo post in Martyrologia esse recepti videntur, elegisse (conf. A. SS. Mart. XVI, XVII). Mauricii autem vestigiis Ledwich, vir haud mediocris ingenii, institit (Antiqu. of Ireland 1790 p. 335). Hic VII et VIII saeculi scriptorum silentio et levitate, qua IX saeculo suos sibi patronos ecclesiae eligere coeperunt, ad suspicandum ductus est, fictum esse Patricium Hiberniae patronum vel, quum ejus in Nennii Historia (a. 858) primo esset mentio facta, eum eundem esse ac Patricium illum, qui Usserio teste in Hibernia Ev. praedicasset ac Glastoniae decessisset. Qua in re errasse virum doctissimum ex iis quae de Historia Britonum supra diximus, manifestum est. Neque omnino probandum est, quod tam ex recentioribus quam ex antiquioribus fontibus argumenta attulit.

Hoc vero illi lubenter concedimus, fieri potuisse, ut IX saeculo, quo Hilduin Ludovico imperatori persuasit, Dionysium, summis in Actis Apost. laudibus elatum, Galliae esse apostolum designatum, quo Jacobus Hispaniae, Albaniae Andreas patronus est destinatus, alium Hibernienses suum vindicarint. Eorum denique, qui ut repugnantia redderent consonantia, plures fuisse Patricios statuerunt, refutare sententias pertaesum habeo. Talibus enim conjecturis, quales Betham (Antiquarian Researches 1827) protulit, vel stolidissimae monachorum fabulae praeferendae sunt. Jam vero, *quae ex nostra perquisitione ducenda sint, breviter exponamus.*

Teste Heirico a. 876 Patricius tum »Hiberniae peculiaris apostolus« habebatur. In Historia vero Britonum, licet excerpta ista de Patricii Vita ante IX saeculum non sint adjecta, calculus tamen ab Hiberniensibus sumtus et anno fere 822 additus occurrit. Hinc colligi licet, initio saltem IX saeculi Patricium et Brigittam atque Columbam in magnis apud Scotos honoribus habitos fuisse. Accedit Alcuini testimonium sub VIII saeculi finem,

Eidemque sane saeculo hymnus iste Bobiensis adscribendus est. *Ad Bedae igitur tempora non tamen altius Patricii historiam licet repetere.* Gravissimum vero est Bedae et Hyiensium silentium. Patricius enim si talis ac tantus vir exstitit, cur ne verbo quidem ejus Beda mentionem fecit, qui non solum rerum Hibernicarum haud ignarus fuit, sed et Palladium retulit primum Scotis evangelium praedicasse? Sed majus est Scotorum silentium. In synodo a. 664 habita eosdem qui tanti fecerunt seniorum auctoritatem, quis silentio praeterituros fuisse praecipuum apostolum putaverit? Adamnanus eum ignoravit. At qui falsam Vitae praefationem praeposuit, eum non esse omittendum putavit. Qui dein Fursei Vitam saxonice vertit, Patricii nomen deesse aegre ferens illud inseruit. Et haud scio an in Cumiani epistola XI saeculo librarius Patricium iis adjunxerit, quos Romanam Pascham celebrasse Cumianus retulit. Neque ullus ex istis Scotorum poëtis, qui VI et VII saeculo floruerunt, Patricium cecinisse videtur, quum alii fere ignoti episcopi, qui fuerint, quasque condiderint ecclesias, carminibus ab illis sit proditum. Carminum vero, quae XI saeculo Tigernach adduxit, alterum nonnisi adscribebatur tunc temporis Patricio, alterum Vitis X saeculo compositis niti videtur. Ea enim tempestate multa de Patricio tam fama perhiberi quam carminibus tradi coepta sunt (conf. Annal. IV Mag.).

Ab his vero causis jam satis expositis haec necessario conclusio ducitur, *aut obrutam fuisse oblivione tanti viri memoriam saeculis ipsius aetati proximis et VIII° demum resuscitari coeptam, aut fictam esse Patricii personam.* Nec multum refert, num lineamenta illius narrationis, quae IX saeculo adumbrata est, ex vera sint historia sumta, quum hominis licet addictissimi religioni christianae, adeo tamen indocti exprimant imaginem, ut literarum Scotorum ac doctrinae conditorem longe alium circumspicere necesse sit.

Patricii vero vita si ficta est, hoc aut ita potuit fieri, ut ei, qui usque ad VIII saeculum primus habitus est Scotorum episcopus, Patricii nomen additum sit, aut persona ipsa VIII saeculo sit excogitata. Huic quidem sententiae illud favet, quod de aliis alias fictis IX saeculo patronis supra diximus, sed obstat, quod ea tempestate qua primum Patricii nomen occurrit, literae apud Scotos floruerunt. An id ejus, qui IX fere saeculo Patricii confessionem scripsit, fuit consilium, ut Romanorum auctoritati »peculiaris Scotorum apostolus« opponeretur?

Sin additum est hoc nomen ei, qui antiquitus primus Scotorum apostolus existimabatur, Patricium non alium fuisse sequitur, ac Palladium. De hoc enim Prosper in Chronico haec refert:

»A. D. Inc. 423 Theodosius junior .... cujus anno VIII Palladius ad Scotos in Christum credentes a pontifice Romanae ecclesiae Celestino primus mittitur episcopus.«

Idemque contra Collat. XI (Op. V, 366) »Nec segniore cura ab hoc eodem morbo Britannias liberavit, quando quosdam inimicos gratiae solum suae originis occupantes etiam ab illo secreto exclusit oceani et ordinato Scotis episcopo dum Romanam insulam studet servare catholicam, fecit etiam barbaram christianam.« His vero locis Prosper sibi ipse repugnare videtur, quum altero Scotos credentes in Christum vocarit, barbaram vero insulam altero. Neque illud omiserim, quod nihil de hac Palladii missione in Catalogo II Pontificum invenitur. Beda autem qui haec ex Prospero sumsit, nihil tum contrarii de Scotorum conversione traditum fuisse verisimile est. Sed paulo post Bedam apud Alcuinum et in calculo Hist. Brit. § 16 atque in hymno Bob. Patricius primi apostoli locum tenet, nec ulla fit Palladii mentio. Unde suspicari licet, Palladium vel inde ab hoc tempore, vel, quum ante IX saeculum Palladii nomen apud Scotos nusquam occurrat, antiquitus in Hibernia Patricium esse vocatum. Quod his ipsis verbis in Tirechani Annotationibus scriptum est »Palladius, qui alio nomine Patricius vocatus est«. Quo forsitan nomine patriciam ejus originem indicari auctor Epistolae ad Coroticum opinatus est, qui eum nobili genere ortum vendidisse refert nobilitatem. Posthac vel tituli loco Patricii nomen utebantur. Declan enim et Albei in Vita Declani Patricii vocantur, similiter Cellach et Comorban in Synod. Hib. a. 1112. X vero saeculo, quo jam exstitit Confessio Patricii isque jam apud omnes summis in honoribus fuit, quum Prosper et Beda Palladium primum fuisse episcopum tradidissent, pugnantia congrua erant reddenda. Ideoque Vitarum scriptores Palladium primum esse missum non negarunt, sed irritum fuisse ejus inceptum, et quum jam anno fere 431 advenisse primum apostolum pro comperto haberetur, Palladium brevi post ad Pictos transvectum obiisse confidentius affirmarunt. Talibus igitur fabulis non magis est fides habenda quam aliis ejusmodi, quibus Patricius Romae fuisse fingitur.

Prosper igitur si vera retulit (conf. supra de Germano), hoc verisimillimum fuerit, ***Palladium alio nomine Patricium esse vocatum et a IX demum saeculo, quo Patricii Vitas scribere coeperunt, inter duas istas personas esse distinctum.*** Sin alius fuit Patricius ac Palladius, hoc quidem manifestum est, Bedae temporibus Patricium nondum primum Hiberniae apostolum habitum fuisse.

Reliquum est, ut brevissime explicatis temporum ordinibus Scotorum ecclesiae historiam uno in conspectu videamus.

I. ***Primordiis*** igitur tantae sunt tenebrae offusae, ut vix scintilla ulla ad dispiciendum sit nobis relicta. Ficta sunt, quae Patricii feruntur scripta. Falsa quae Vitis traduntur. Incertum est vel Prosperi testimonium. Quando igitur vel a quo primo sint Scotis sacra christiana allata, nonnisi per conjecturam dici potest. Si recte Prosper anno 431 jam credidisse in

Christum Scotos retulit, a Britonibus sane, quorum simillimi Scoticis VI saeculo ritus erant, Evangelium iis V saeculi initio vel ante praedicatum fuisse, suspicari licet. At ne fama quidem de temporibus Patricio vel Palladio prioribus quidquam perhibitum est. Medio demum aevo stolidissimae fabulae eo spectantes sunt excogitatae. Jam vero medio VI saeculo dilucescit. Columba enim ante a. 565 Dearmachense coenobium condidit. Hinc igitur incipit

II. *Aetas secunda,* a med. VI—IX med. saecul., qua Scotorum ecclesia floruit, ut neque Britannica unquam, neque alia tunc usquam terrarum. Frequentissimae tum Hiberniensium fuerunt scholae, Scoti Pictorum, Anglorum Germanorum aliarumque gentium magistri exstiterunt. Ab Jona (Hyi) usque ad Bobium in Italia, ab occidentali Hiberniae parte usque ad orientales Germaniae fines Scoti tum Evangelium praedicarunt, condiderunt monasteria, scholas instituerunt. Quae vero tunc temporis eorum fuerint institutiones, ritus, disciplina, doctrina tam ex Bedae Historia, quam ex Scotorum, maxime Bobiensium monumentis cognosci potest. Quod quidem ad *institutiones* attinet, non penes episcopos vel archiepiscopos gubernandi ecclesias potestas fuit, sed penes Abbates seniorumque collegium. Attamen non singula singulis abbatibus vel uni omnia monasteria subdita erant, sed tria maxime majori reliquis auctoritate gaudebant, Dearmachense (hodie Durrogh) in Hibernia australi, Bangorense in septentrionali, Hyiense, cui Pictorum Anglorumque ecclesiae subditae erant. Quae quamquam necessitudine inter se, rituumque ac doctrinae similitudine erant conjuncta, libera tamen erant aliud ab alio, quod ex controversiis paschalibus intelligi licet (conf. Beda c. II, III. Epist. Cumiani). Quaecunque vero a monachis vel episcopis alia alias monasteria constituebantur, iis a quo profecti conditores erant, nunquam non parebant, ut Bangorensi Columbani sociorumque coenobia, Northanymbricae ecclesiae Hyiensi. *Ritus* deinde sacri VII saeculi initio iidem omnibus erant (conf. Bed. II, 4. 19). Ac licet Pascham Romanam Hibernienses australes jam medio fere VII saeculo (conf. Ep. Cum. Bed. III, 3), sub finem ejusdem septentrionales, dein Picti (a. 710) Hyienses denique monachi a. 729 una cum aliis ritibus (Bed. IV, 4) accepissent, tamen in aliis rebus, episcoporum scilicet ordinatione, baptismo, matrimonio a Romanis dissensisse, ex Bonifacii cum Virgilio et Sampsone Scotis controversia c. a. 745 notum est (conf. Usser. Sylloge XVI et cet.). Qui vero in Gallia ac Helvetia et Italia Scoti erant, a Gallorum et Romanorum ritualibus non pauca mutuari coeperant. *Disciplina* autem, qualis fuerit, ex Columbani regulis maxime perspici licet (conf. Beda II, 4 et cet.). Quod denique ad *doctrinam* pertinet, eos non tantum sacris literis sed et artibus liberalibus incubuisse nemo nescit. Pelagianam quoque haeresim ad Scotos illatam fuisse ex Johannis literis (Bed. II, 19) colligi licet, quamquam illius

auctoritas, qui Paschalem ritum novum errorem ex vetere ortum vocarit, non magni existimanda fuerit. Huc quoque pertinet, quae VIII saeculo Scoti non tantum de ordinatione et matrimonio, sed et de Christi ad inferos descensu, de praedestinatione, de alio, qui sub terra esset, mundo docebant (conf. Uss. Syll. XVI).

Dilucida denique doctrinae specimina Claudii et Sedulii commentarii et Johannis Erigenae libri sunt. At haec omnia brevissime delineasse satis habemus. Permansit autem hic ecclesiarum et literarum status usque ad Danorum invasiones, quando dirutis ab illis ecclesiis et monasteriis ad Gallos confugerunt monachi, quibus summo usui ac decori erant. Ab hoc autem tempore oritur

III. *Aetas tertia* a medio IX—XII saec., qua tantum perturbationis, tantum caliginis insulae offusum est, ut ingenia incultu ac socordia torpescere et avita reviviscere atque cum vera misceri religione coepta sit superstitio. Quid mirum, quod nulla fere hujus aetatis monumenta praeter Patricii Confessionem et Epistolam (XI/X saec.) atque Vitas (X—XII saec.) ad nos pervenerint. Sub XI vero saeculi finem quum Dani ad Christum essent conversi, primus Godredus Manniae rex, qui sibi majorem Laynestriae partem subjecit, a. 1074 a Lanfranco, ut Patricium Dublini episcopum ordinaret, petiit. Ritibus vero suis Hibernienses quam maxime adhaesisse et abusus quosdam insuper emersisse ex Lanfranci ad Terdelvacum, Godredi successorem, literis cognoscitur, qui 1. »pro arbitrio quemque uxorem relinquere, 2. episcopos a singulis ordinari episcopis, 3. infantes sine chrismate consecrato baptizari, 4. sacros ordines per pecuniam ab episcopis dari« conqueritur (Uss. Syll. XXVII). Nec multo post Gregorius VII papa literis (a. 1085) »quum Petro ejusque vicariis omnes ecclesiae subditae essent, ut catholicae ecclesiae pacem tuerentur et si qua negotia emersissent digna ipsius auxilio, incunctanter ad sese dirigerent« Scotos hortatus est (Usserius Sylloge XXIX). Isque Bernardo Clar. teste Gillebertum Lismorensem (Limeric) episcopum apostolicae sedis legatum creavit, qui ut »diversi et schismatici illi ordines, quibus Hibernia paene tota delusa esset, uni catholicae Romanae cederent officio« regulas conscripsit. Diu Scoti restiterunt. At quum Malachias, Archiepiscopus Ardmachanus, inducendis ritibus Romanis summam operam navasset et ad Benedicti regulam monasteria quaedam instituisset, effectum est, ut Christianus Lismorensis jussu papae 4 archiepiscopatus in Hibernia a. 1152 constitueret, concilio denique Casseliensi a. 1172 Anglorum regis ope Romanae insulam sedi subjiceret.

Iisdem igitur fere aetatibus distinguenda est Scotorum ecclesiae ac Britonum historia. Hujus quidem primordia ad persecutionem Diocletianam, ad Palladii missionem illius repetere licet. A Romanis autem Britones, ab his forsitan ante Palladii tempora Scoti religionem christianam primo acceperunt.

Hac vero aetate, num doctrina, institutiones, ritus iidem fuerint, ac VI saeculo, quum Britonum ecclesiae historia ab a. 385 fere usque ad 520, Scoticae vero ab 431—563 in tenebris jaceat, exquiri nequit. Sed quaecunque ecclesiae utriusque fuerit origo, illa quae a VI saeculo usque ad medium IX saec. in Britannia et Hibernia floruit, Gallicanae alumna habenda est. Quum vero Gallicana et Romana jam multa coepisset altera ab altera mutuari, Britannica pristinam simplicitatem retinuit ac sola germanam et veram Celticae ecclesiae expressit imaginem. Literarum sacrarum studio, vitae monasticae, peregrinando addictissimi fuerunt tam Britones, quam Scoti. Hi vero quum totos se darent Evangelio longe lateque praedicando, illi ne Saxonibus quidem convertendis operam dederunt. Scoti barbarorum exstiterunt doctores, Britones vero quasi in claustris reclusi semel tantum in scenam prodierunt neque conspicuum unquam in propaganda et divulganda religione christiana locum tenuerunt. Quid multa? Apostolis illi, hi Anachoretis comparandi sunt.

Ex antiquis igitur fontibus, rejectis posteriorum fabulis, ecclesiastica Britanniarum historia hauriri potest. Nos vero magnum fructum capiemus, si in tanta fontium obscuritate et paucitate id erimus consecuti, ut certum aliquod ac verum historiae fundamentum jaciatur.



BEROLINI, TYPIS GUSTAVI SCHADE,
Oranienburgerstr. 27.